

192

PRÆSTITE DEI CLEMENTIA.
HISTORIA
PLANTARUM

GENERALIS,

In Synopsin redacta, & ad usum Medicum.

concinnata,

Quam,

*Illustris & Gratiissimi Senatus Medici, in floren-
tissimo Lyceo Salano, autoritate & suffragio,*

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Nobilissimi, Amplissimi, Experientissimi & Ex-
cellentissimi*

DN. JOANNIS THEODORI

SCHENCKII, Medici Doctoris, Anatomici,
Chirurgici & Botanici Prof. Publ. celeberrimi, Horti Gui-
lielmini & Collegialis Præfedi solertissimi, Dn. Præceptoris
& Promotoris sui, eterno honoris & observantiae culta
prosequendi,

Publica placideq[ue] Flora Cultorum censura submittit,

A. R.

ZACHARIAS Ennichmann

Tremonia - Guestphalus,
In Auditorio Medicorum,
AD DIEM JUNII,
Horis consuetis.

JENÆ

Typis JOANNIS NISII, ANNO CL Is c LVI.

3*i*



192

PRÆSTITE DEI CLEMENTIA.
HISTORIA
PLANTARUM

GENERALIS,

In Synopsin redacta, & ad usum Medicum.

concinnata,

Quam,

*Illustris & Gratiissimi Senatus Medici, in floren-
tissimo Lyceo Salano, autoritate & suffragio,*

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Nobilissimi, Amplissimi, Experientissimi & Ex-
cellentissimi*

DN. JOANNIS THEODORI

SCHENCKII, Medici Doctoris, Anatomici,
Chirurgici & Botanici Prof. Publ. celeberrimi, Horti Gui-
lielmini & Collegialis Præfedi solertissimi, Dn. Præceptoris
& Promotoris sui, eterno honoris & observantiae culta
prosequendi,

Publica placideq[ue] Flora Cultorum censura submittit,

A. R.

ZACHARIAS Ennichmann

Tremonia - Guestphalus,
In Auditorio Medicorum,
AD DIEM JUNII,
Horis consuetis.

JENÆ

Typis JOANNIS NISII, ANNO CL Is c LVI.

3*i*



V I R O

Nobilissimo, Magnifico, Amplissimo & Consultissimo,
Dn. Z A C H A R I Æ Löbbekē / JC. celeberri-
mo, liberæque Imperialis Tremoniæ Consuli
supremo.

Dn. Mecænati & Avunculo suo filiali observantia ater-
num prosequendo.

Salutem & Observantiam !

Bene recteque, cùm dixie, dixit Seneca lib. 2. de benef. cap. 24.: Nobilissime & Magnifice Dn. Avuncule. Nihil magis præstandum est, quam ut memoria nobis meritorum bereat. Nihil enim, eodem dicente Epist. 81. grato animo honestius. Omnes hoc urbes, etiam ex barbaris regionibus gentes clamabunt: omnes uno, quod ajunt, ore affixabunt. Hec, ut est apud Ciceronem orat. 31. quæ est pro Cn. Plancio, est una virtus non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Cum ergo, loquor cum eodem l. c. omnibus virtutibus me affectum esse cupiam, et men nihil est, quod malim, quam me & gratum esse & videri. Hoc fuit, hoc est meum votum. Hujus voti compos nunc ero, cùm radus sim occasionem, gratum meum animum declarandi, quem TIBI Nobilissime Vir, pro summa in me benevolentia, promississimoque me promovendi, ac cœpiis meis studiis favendi studio, quid ab ineunte etate meâ, maximo cum animi gaudio, expertus, debeo. Non ego, etiam statorus lingua fierem, benevolentie tua Magnificentia erga me magnitudinem possum vel eloqui, vel complecti. Si verò verum dixit Seneca lib. 2. de beneficiis, cap. 31. hominem gratum esse posse voluntate: ne ego gratissimus ero! In hujus testimoniorum offero tibi, Nobilissime & Magnifice Dn. Avuncule, studiorum meorum primos fructus. Tenue gratitudinis & observantia pignus, tenue scriptoris genus; Tibi autem, ut confido, haud ingratum erit, qui hujusmodi scripta nunquam non lubenti animo legis. Si gratum, eripies tantura temporis gravissima tuis occupationibus, quo hanc de plantis historiam perlegas. Vale & vive Patrie, mihi, felicissime, diutissime, Mecenas optime, meque ea benevolentia, quæ faci, prosequi persevera. Jena, Anno Christi Cl. Icc LVI. Ipsis Calendis Junii.

Nobilitatis, Magnificentiae &
Amplitudinis Tuæ

observantissimus

ZACHARIAS Ennichmann.

B. L. S.

Disciplinam aliquam commendaturi, LECTOR BENEVOLES
principia desumere argumenta solent ab utili & jucundo.
Nihil quippe magis in sui amorem rapit, quam utilitas
juxta ac jucunditas. Prima enim serè quaestio esse solet,
AD QVID UTILE? Eadem ergo quis quaestionem mihi objiceret
de BOTANICÆ laudibus dicturo. Ego quidem dum id molior,
monito Pindari Pyrbie ode 3. ταῦ δὲ εὐπέπελτον καὶ λαζαράν, parere
non videor: cum sit onus humeris meis impar, & verè Ciceronis fa-
cundiam requirat. Etenim supra vocem & eloquentiam positæ sunt
Botanicæ laudes. Si de utilitate ejus aliquid dixero & jucunditate
epitomen laudum dixero. Scienti enim pauca. Quis verò ne-
scit quantum situm sit in herbarium cognitione? His incognitis,
materia medica incognita. Hac incognitâ, quis morbis mederi, ar-
temve rectâ methodo exercere, nisi fortunâ quadam, vel naturæ i-
psius robore ægros sanare potest? Breviter Bonus Botanicus, (cæ-
teris paribus) bonus Practicus. Hinc tot illustres Medici tot lon-
ginquas suscepserunt peregrinationes, nullis periculis deterriti,
nullis laboribus, nullis molestiis, nullisq; sumtibus pepercerunt,
quo herbarum cognitionem solidam, quantum humanitus fieri li-
cet, sibi compararent. Et quæso, unde tot errores in Pharmacopo-
liis, quos eruditii Medici & Botanices periti subinde taxant, nisi ex
ignorantiâ Botanices: unde solent (loquor de imperitis) ignoræ
plebeculae quid pro quo, ut vocant, obtrudere, maximo cum pro-
ximi detrimento & incommodo. Jucunditatem nemo non videt,
quam secum fert. Speculatione quid homini jucundius accidere
potest. Agnoscit pia mens summi Opificis summam omnipoten-
tiam, quam demonstravit vestiendo lilia agri, quali ornamento nec
Salomon in omni gloriâ suâ amictus fuit, sicut unum ex his, dicen-
te Salvatore nostro CHRISTO, Matth. 6. v. 29. Infinitam bonita-

rem, quam notam fecit, hominum usibus indulgendo. Quanta ob-
iectamenta capiunt sensus externi. Quam gratam colorum varie-
tatem sentit oculus. Nullius manus artificis ad eam elegantiam as-
surgit: tantam diversitatem nemo pingendo assequitur. Olfactum
oblectant suavissimiodores. Linguam gratissimi sapores. De quo
argumento vide si lubet, Pet. Lauremberg. *præloquium in Horticultu-
ram*, pag. 13. seq. Hæc sunt, quæ unumquemque ad studium Bota-
nices excolendum movere possunt. Hæc etiam me excitarunt; ut
Botanica nomen meum dederim. Accedit autoritas *Virorum No-
bilibissimorum D. D. Guernerii Röfincii, & D. D. Præsidio; Praeceptorum*
meorum æterno honoris & observantie culin prosequendorum, cui refragari
piaculum esto. Hi itidem amores extiterunt, ut ederem ali-
quod specimen iugenoli mei. Consului igitur optimos quosque
Scriptores, selegi & collegi in unum fasciculum varios flosculos, e-
nataque est præfens historiæ. Satius enim est, ut loquitur *Magnus
Röfincius mens in epist. dedic. disserr. de corde præfixâ*, ex variis autori-
bus optima quæque congerere, quam propriæ industriae viribus
excogitata periculosè proferre. Cuique etiam non datum est adi-
re Corinthum, neque omnia possumus omnes. Facilem proinde
animum, LECTOR BENEVOLE, & quænam judicium à te mihi promit-
to, si non in omnibus tibi, cum nec mihi ipsi satisfaciam. Consi-
derabis juventutem meam, & legem, quam naturæ humanae imbe-
cillitas induxit errare. Nam secundum *Ciceronem orat. 53.* quæ est
Philippica 12. cuiusvis hominis est errare. Labimur plerumque
cum minimè volumus, & sape frustra sumus, cum, quæ speramus
minus eveniant. Tu vero Deus Creator omnium, qui mihi men-
tem, linguam & omnes sensus dedisti, gratuitæque misericordia in
hunc usque diem conservasti, respice servum tuum de sede tuâ ex-
cessâ, largiendo Spiritum sanctum tuum, qui dirigat mentem, lin-
guam omnesque sensus meos, ut non nisi tibi grata atque accepta
fuscipiam. Minor, fateor, sum omnibus tuis miserationibus; ma-
jor ramen est Filius tuus unigenitus, qui cruento swo metibz recon-
ciliavit, propter quem nihil denegabis, quicquid in ejus nomine
rogavero, hic est indubitatus sermo. Tibi Pater, cum Filio &
Spiritu sancto sit laus, honor & gratiarum actio.

Amen.

CAPUT

CAPUT I.

De Plantæ notatione, aequipollentiā & ambiguitate agit.

Ante verò quām plantam definitiam, sicuti sit in omni definitione, nomen ipsum est explicandum. Quippe ex cuius interpretatione facilius rei ratio nota fit, docente Scaliger lib. 1. de caus. Lingue Latina cap. 4.

Martinus in Lexico Phibilogico sub voto PLANTA, plantā dici putat à plantā pedis: quod per plantam, hoc est pedem vigeat. Est enim, inquit, vitæ ejus fons in radice.

Forte, inquit idem Martinus, non male referetur ad πλαντας ον, quod per terram fructicatione suā erret, aut radices per terram erraticas spargat. Φυσιονομια dicerem, quia ex huto seu terra sursum tendit, & q. currit. Ita PLANTA diceretur quasi Planeta, abjecto E per synecopen. Aut quasi pullanta, quia pullus, pullulus est novella planta.

Ιεροδιωματικη sunt stirps, φυτον.

Est autem nomen PLANTAE ut & stirpis aequivo cum, quod nullo certo genere ponitur, Scal. de caus. lib. 12. cap. 177. ambiguitasque obscuritatis causa est, Zabarella lib. 2. post. anal. cap. 12. context. 83. col. 229. E. quæ erit evolvenda.

Sumitur 1. pro totā pedis parte inferiore, cui insistimus, quem & imum pedem vocant. 2. pro furculo transferendi, vel inferendi gratiā ab arbore capto. 3. pro stirpe huic teneriore, qui cum radicibus aliò transferri solet aut potest. Germani Pflanzen / Saxones inferiores Plantæ. 4. pro vegetabilium genere, omniumve terræ nascentium, & hæc significatio hujus loci est.

STIRPS dicitur 1. imum arboris, quā parte stat in terrā. 2. radix unde germinat arbos. 3. tota arbor. 4. planta in quartā significacione. 5. aliquid simile stirpi seu radici, ut propago.

CAPUT II.

Plantæ definitionem, & ejus causas explicat.

Post plantæ etymologiam, synonymiam & homonymiam, ponenda ejusdem definitio.

Definitur autem quod sit corpus naturale perfecte mixtum, vegetante anima solum praeditum, ad gloriam Dei, hominumque commodum.

GENUS plantæ positum est corpus perfecte mixtum. Et recte quidem. *Corpus* enim perfecte mixtum est illud, in quo elementa firmiori nexu juncta & combinata sunt, ut in ea non adeo facile resolvatur, ut definit *Amplissimus Dn. Zeisoldus Professor Physices in bac Salanâ honorarius in not. ad insit. physic. Facchae lib. 7. cap. 1. lit. a. pag. 545.* Quod de plantâ nemo negaverit.

FORMA est anima vegetans. *Armandus de Bello Visu tract. 2. cap. 40. pag. 82.* Et *Pererius lib. 2. de Philos. nat. cap. 5. pag. 84.* Formarum physicarum quatuor gradus ponunt: *primus* est, qui solum dat esse. *alter*, qui dat esse & vivere. *tertius*, qui dat esse, vivere & sentire. *ultimus*, qui ad hæc omnia vim rationis ac intelligentiae impertitur.

Ex his convenit Plantæ secundus gradus. Nemo enim tam amens erit, qui *ultimum* ei adscribat; quod tamen fecisse *Proclus* scribit *Alstedius in disp. phil. quest. phys. 2. pag 9.* allegans *Tholos. lib. 2. Syntax. artis mirabilis. cap. 43.* Item *Anaxagoram, Democritum & Empedoclem*, testis est *Autor libb. de plantis.* qui falso adscribitur *Aristotelis*, (*Aristoteli enim eorum non esse autorem fusè probavit Scaliger comm. in hos libros a fol. 11. 1. D. usque ad fol. 13. 1. D. editionis Crispiniana*) lib. 1. cap. 1. dicens: ὁ Αναξαρχός, οὐδὲ Δημόκριτος οὐδὲ Εμπεδοκλῆς ηγίνουν καὶ γνωστοὶ εἰχειν τὰ Φυτά. *Anaxagoras, Democritus & Empedocles mentem quoque & cognitionem plantas habere dixerunt.*

Falsitas ejus sententiae vel inde patet: quod enim nec tertius competit, quem ipsi adscripsere *Plato, Empedocles & Zoroastres*, ex veteribus. Sic enim *Plato*, princeps ingenii & doctrinæ, (ut eum vocat *Cicero ad Quintum fratrem lib. 1. epist. 1.* in *Timaeo*, qui habetur *Tomo 3. editionis Serrani, pag. 27. A. πᾶν γέ δέ, τι τέ αὖ μετά γέ ξῆν, ξῶν μέντοι τὸ δινόν λέγοις δέδοται*) quicquid enim vita est particeps, optimo jure *Animal* vocari potest.

De *Empedocles* sententiâ, cùm ejus scripta hodie non supersint, consulendum est *Plutarchus*, qui *lib. 5. τῇ δρεποντων τοῖς Φιλοσόφοις, cap. 26.* ita scribit: Εμπεδοκλῆς, καὶ τὰ Φυτά ἐμψυχεῖ σῶσαι.

Εώς. *Empedocles stirpes quoque animatos animantesque dixit.*

Sensibus arbores valere scribit Zoroastres, (allegante Porta Phytognomica lib. i. cap. 2.) nam si per multos annos arbos aliqua sterilis fuerit, & venerit Agricola accinetus acutâ bipenni ad arborem detruncandam; si amictus pro ea rogaverit, & fidejussederit sequenti anno fructum laturam, ac ille amici verbis persuasus abierit, quod arbor maximum feret fructum.

In eadem sententia fuit Anaxagoras teste Autore libb. de plantis loco citato: ὡν ο μηδενι Αναξαργός τοις ξύλοις είναι, μηδεθέτης τοις λυπησαίπεται. Et Anaxagoras quidem animalia ipsas esse & voluptate ac dolore moveri docuit.

Inter recentiores videtur eminere Cardanus qui lib. 8. de subtilitate, qui agit de plantis: Nobiliores, ait, metallicis plantae sunt, atque in his quædam sensus imago relucet. Hunc vitalem potius, quam animalem, vocari posse arbitror. Inesse siquidem viventium cuique generi sensum aliquem debere, quo quæ ipsi familiaria sunt, appetant, attrahant, coquunt, iis ad sui conservationem late fruantur, vel oculis propriis convincimur; vel ab ea, quæ foetus nos primum formare dicitur, ζωλικήν, vivente, vegetanteque perdiscimus; ut taceam hanc vice, in non paucis, tertio quasi quodam, animatorum corporum genera convenire, & inter se virtutibus suis quadantenus communicare. Theophilus Zimara Comm. in Aristot. lib. 3. de anima text. 64. fol. 395. & 396. sensum hunc plantarem vocat.

Exinde tamen plantas animaliter, exque prescripto naturæ, Zoophyta enim hic non spectant, audire, videre, vel gustare observavit nemo. Verè hic quadrat jocus Scaligeri exercit. 138. An oleum fugit cucumis: propterea quod scit se in acetariis cum oleo mansum iri.

Nec denique primus gradus plantis convenit, quæ sententia fuit Stoicorum & Epicureorum, ut testatur Plutarchus l. cit. oi Σωκράτοις, inquit, οὐ Επικρέειοι, ταῦτα μὲν χαριτοῦσι Stoici Epicurei. animatos (stirpes) negant.

Sed facile hæc sententia evertitur, cum plantæ nutritantur, augeantur, generent, quæ operationes & facultates animatorum sunt, eadem anima quæ carere possint? Arist. lib. 2. de anima cap. 1.

text. 3. Pluribus de his agere, Philosophi est. Vide P. H. Mendoza
zam de anima disp. 3. seet. 1. pag. 41.

Notant hic aliqui autores animam dictam vegetantem, nūl-
lam constituere plantæ speciem, sed vegetans saltē seu genus
plantæ. Plantarum verò species specificis formis, absinthium sci-
licet à scenicolo, rutam à salvià differre. Fabianus Hippius prob.
phys. 39. pag. 197. Sennert. Epit. nat. scient. lib. 6. cap. 1. § 3. pag. m.
467. & 487.

De causis ut patica dicam, eadem anima est & causa formalis
& finalis & efficiens diverso respectu. Formam esse, constat ex di-
stis, & non indiget prolixiori probatione, cùm anima sit causa ipsius
vivere, quare & ipsius esse, & forma rei, quia vivere est esse ipsius
viventis. Finalis est, quia natura propter formam naturalem, quæ
in viventibus anima est, & sic etiam in plantis, materiam exornat
ac disponit, ut ejus gratiā, tanquam propter finem cui tantam
partium distinctionem effingit. Ita Aristoteles lib. 1. de part. anim.
cap. 5. τὸ οὐματικὸν φυχὴς εἶνεν. Corpus anima gratiā condicūm est.
Et Averroës in comm. in Aristot. lib. 2. de anim. text. 36. Corpus non
est nisi propter animam. Efficiens est denique, quia administrat
actiones viventibus proprias. Hanc Velcurio com. phys. lib. 3. cap.
26. fol. 177. vocat virtutem plantarem. Conimbric. comm. in Arist.
lib. 2. de anim. cap. 4. text. 36. e. Zabarell. in dictum locum, column.
432. & 433. Theophilus Zimara & Toletus in eundem. Jul. Pacius lib.
2. de anim. cap. 4. §. 23. seq.

FINIS plantarum communis (dico communis, quia plurimi-
bus rebus convenit) est duplex.: gloria Dei & hominum commo-
dum. Prior constat ex Psalmo 148. v. 9. Prov. 16. v. 4. In quem lo-
cum Osiander in glossā marg. scribit: omnia Deus creavit ad nomi-
nis sui gloriam, ut inde eluceant ejus sapientia, potentia, bonitas.
Posterior ex Gen. 1. 21. 29. & Psalm. 104. v. 14. In hunc textum ita
commentatur Salomon Gesnerus fol. 717. Dei donum sunt pascua,
quibus pecudes aluntur, ut carnem, lac, pelles, lanam ad hominis
usum exhibeant. Herba enim homini dupliciter servit: immedia-
tè, ut odoriferi flores, olera & herbæ medicamentis natæ: & me-
diatè, quod animalibus in usum hominis pabulum præbet, ut mo-
dò dictum est. Petrus Laurembergius in præloquio Horticulturae

sue premisso pag. 7. eleganter hunc plantatum finem prosequutus est. A plantis, ait, homo accipit pleraque omnia, quorum vitæ indiget usus, seu vivendum sit simpliciter, seu commode, seu voluptuosè. Nimirum humana imbecillitas opus habet cibo, potu, medicamentis, amictu, habitatione, suppellectili, naviis, oblectamentis sensuum & animi. Nihil horum est, quod plantæ nobis de suò penu non largiantur: nihil cuius possessionem iis non feramus acceptam. Plura videantur loco citato. Adde Aristotelem, qui lib. 1. Politic. cap. 8. dicit: οἴησον, τὰ τε Φυτά των ζώων εἰνενέργεια, καὶ τὰ ἄλλα ζῶα τῶν αἱ θεών τον χρέον existimandum, plantas animalium genitā esse, & cetera animalia hominum causā.

MATERIA REMOTA plantarum, sunt elementa, hæc siquidem ut nouæ communia corporum mixtorum principia, unione suâ per certâ formâ definita, illis insunt. Galenus illustri commento, hanc intentionem prosequitur lib. de natur. human. comm. 1. text. 16. Si ex conjecto in terram semine, fici exempli gratiâ, procera arbor adolecat, infani est nō ex terrâ & aquâ, sed aliunde dicere hanc natu-ram profectam esse. At enim terra suâ naturâ extremè frigida est, multum autem caloris habet fucus, qui eam conservat, quò minus, unâ per atroces brumas perfrigeratur, demoriatur. Constat ergo aquam tantum & terram fici corpus non constituisse, quin igneæ naturæ non est expers. Nec jam hoc obscurum est, eam & naturæ aëreæ habere partem, quando lignum ejus manifestè non solùm terrâ est, sed & aquâ levius. Constat ergo ex illis quatuor fucus. Quod si hæc, & ejus certè fructus. Et fructus certè universi. Sunt porrò, triticum, hordeum, fabæ & reliquarum frugum semina, fructuum partes, atque idcirco ex quatuor illis conflata: terrâ, igne, aquâ, aëre.

PROXIMAM exprimere non nisi quâd difficilimum est. Hanc nonnulli tanquam sponte nascentium corporum in putrido quæsi-vère. Verum minus rectè, nam affectionem & Αἰγαῖον ipsius principii communem quandam, non ipsum principium sunt intuiti. Quidam, viventibus, quæ propria est, calidam & humidam accersi-vere. Sed nec hæc pultem attingit, generali suo in significatu acquie-scens. Relictum itaque totius cardinis negotium hucusque ita fuit, qui statuere latere illam, in substantia quâdam τῷ ὀμοιότερῳ ζώῳ

αναλόγω, calore spirituque φυλητῷ, plantati vivifico, perfusa. Ova quædam esse semina plantarum omnium, scribit diligentissimus naturæ indagator, *Guilielmus Harveus exercit. de generat. anim. i.*

Inclusus, Humor, Autore libri τοῦ Φύσις παιδίος, qui Hippocratis falsò secundūm aliquos adscribitur, eadem gaudet conditione in semine, fructu, radice, aut aliâ parte arboris vel plantæ, quâ is, quem continet terra, in quam planta demittitur, ei, è quâ nutritur & augetur ulterius, sive seminationem sive deplantationem intendimus: undeque καὶ τέως, molle & aquosum pergit ille, eis ἀνέχον ὡς μηδέπον, καὶ εἰς τὸ πάτω, καὶ εἰς τὸ ἄνω, ad incrementum tum inferiore tum superiore feruntur parte. παχύπεργον, παθεργον καὶ πλεῖον, crassissimum, pinguis & copiosum, τὸ δὲ ἔργανον τὸ δὲ οὐλία ἐκεῖνος ἀνερ καὶ γόνατος, quod à sole calefactum in extremitates effervescit & frumentum nascitur, cum eo ex quo ortum est cognationem habere.

Causas inter ADJUVANTES naturales proximior SOL, qui aquosum ad se alliciens, fructum coquit & solidorem reddit. Remotiores: aqua, aér, proque diversitate plantarum, loca & regiones diversæ. Artificiales, ignis, hypocausta, dormitoria plantarum, in quibus à frigore hyberno præservantur; linteal, laneaque fila, pro modicè rigandis radicibus in solo sicciorē constitutis. Quæ bibulæ sunt & humectatione crebrè indigent, veluti pulegium, sedum, sisymbrium, loca, ejusmodique auxilium depositunt. Locum ipsis dat terra, aér & aqua. Terra quod magis superficiem spectat, & ab aquis pluvialibus aliisque, Solis, siderumque virtutibus imprægnatis, digeritur, aere decenter ventilatur, eō magis provinciam hanc administrat. Hinc nullum in profundissimis terræ sinibus, plantam reperiri constat. *Porta lib. 2. physiogn. cap. i.* cùm ē profundissimis ædium fundamentis egestam humum convalesasset, atque subdio exposuisset, paucis post diebus ē variis terræ qualitatibus varia herbarum genera produisse, Neapolitano cœlo soloque familiariter, conspexit.

Interim genuinum & radicationis locum terra: perfectionis & conservationis aér potissimum obtinet, pro cuius qualitate, amicā vel inimicā, constat latius ægriusque plantas vivere, nutriti, frugiferas esse aut sterilescere.

An ventorum quædam ad producendas conservandasque plan-

plantas sit necessitas disquisitione non indignum adeo est. Imprægnari Favonio plantas scripsit *Plinius à Johanne Jonstono Taumatomographias naturalis Classe V. de plantis cap. 1.* citatus. Contrarium, afferunt, qui exarescere à ventis fructus dicunt, & qui ultra D. Thomæ Insulam, austrum tantum spirare perhibent, alibi duos tantum per vices ventos. Non videtur tamen è censu caularum adjuvantium prorsus ventorū utilitatem excludendam esse, cùm illis benignè flantibus, lætior messis frugum fructuumque proveniat, ab umbris nimirum humiditatibus superfluis, quæ cùm augmentationem, cùm maturationem illarum naturalem, persæpe morantur. A nimis imbribus segetum spes suffocaretur, nisi à ventorum afflatibus refocillarentur. Et ut aéri, sic & ventis, ex mente *Andrea Libavii* allegante eodem *Jonstono l. c.* poterit adscribi, quod omnium seminum habeant aliò transferendi copiam.

Modus generationis plantarum in seminibus aliter ac in deplantatione se habet: in illis vel ut sunt sicca, veluti major pars seminum: vel humida, veluti bulbi.

SEmen in terram demissum, verba Hippo sunt, *i.e.* humore quodam ab ipsâ impletur, impletum flatu distenditur & intumescit, & vis quæ in semine levissima est, ab humore cogitur, illaque vi spiritus coactâ, & humore in folia verso, semen rumpit, & primum folia foras emergunt. Quæ cùm emerserint, ubi amplius ab humore, qui in semine inest, nutriti non possunt, tum folia inferiore parte rumpuntur, ipsumque à foliis coactum, vim suam, quæ in eo propter gravitatem est reliqua ad inferiora demittit, & ex foliis oriuntur radices, ex iisque dependent.

PLANTA in terram defixa, ab eâ cùm humorem acceperit, intumescit, & spiritum concipit, quod non facit quod terræ supereonet. Spiritus autem & humor, collecta in inferiore plantæ parte vi, efficiunt ut quod gravissimum est deorsum erumpat, ex eoque teneræ radices oriuntur. Quod cùm inferiore parte acceperit, tunc sanè ex radice attractum humorem ei, quod supra terram eminet, transmittit, tuncque certè superiore parte intumescit, & spiritum concipit, & collectâ facultate, quæ in plantâ levis inest, folia germinant, jamque tam superiore quam in inferiore parte incrementum capessit. Cùm autem planta incrementum ceperit, hac de causâ

necessariò ramos emittit: ubi magnam humoris copiam è terrâ at-
traxerit, præ copiâ erumpit, quâ parte abundat, illicque planta ra-
mos emittit.

Galenus lib. de fœtuum formatione pressius modum generatio-
nis, nutritionis & auctionis plantarum depinxisse videtur, cap. 7.
Ex semine duplex quispiam exortus enascens videtur, alter infra
terram, alter consimilis ad aërem supra terram. Tenues autem
cùm existant in principio hi exorti, progressu temporis crassescunt,
similique in longitudinem extenduntur, & postquam memorabi-
lem magnitudinem natæ fuerint, in alios exortus scinduntur, &
sanè his ipsis rursus in alios diductis, deinde etiam his in alios, in u-
naquaque temporis parte omnes ipsos nutriti, simulque augeri con-
tingit. Quin & fructus extremitatibus ipsorum innasci omnibus
planta jam perfecta est.

TEMPUS GERMINATIONIS aliud atque aliud, prout aliud atque
aliud planta temperamentum adepta est. Unde veluti ver est, cùm
erumpit: *aetas*, cùm floret; *autumnus*, cùm fructescit: & *hyems*,
cùm senescit planta & emoritur. Cùm enim germinationis causa
concoctio alimenti sit, ad concoctionem autem calor tum internus
& nativus, tum externus requiratur, non mirum est, si diversum
germinationis tempus observeatur. E temporibus anni, ver florū
cōditor feracissimus, hyems *duo* *quā* *ad* pertinacissimus. *Impeditus*
hic calor à causis tum internis tum externis, germinationis negotiū
aliter atque aliter nunc hīc nūc illic se habere demonstrat.

MATURATIONIS, individuorum sequitur indolem, & soli solis-
que bonitatem arguit. Unde quod citò fit, citò perit. Alio tem-
pore folia: alio flores: semina, fructus, &c. maturescunt. *Olearius*
in descriptione itinerary Persici fol. 153. novæ editionis, refert, in tractu
Moscoviae Septentrionali fruges spacio 7. vel 8. septimanarum seri
& maturescere. *Jacobus Ponius lib. de Medicis Indorum*, ait: in In-
diae Orientali Javā majore, locisque æquatori vicinis quater in an-
no uvas ad maturitatem pervenire, modo vites suo tempore puten-
tur, & ritè colantur; ficus autē singulis mensibus. *Ulvæ* *agri* *Patavini*
bis leguntur, præcocium aliud, serotinarum aliud tempus est. *Juniperus* tertio quovis anno baccas maturas edit: primo floret, altero
fructu producit. Quædam vere, ut *fraga: aestate*, ut *myrtilli, ribes,*
cera-

cerasa, pyrorū maxima pars, melina, moschotellina; poma S. Joannis perficiuntur. Autumnus pomifer καὶ ἡ ζεῦς vocatur. Hyems ab accidenti habet, ut fructus simul atq; femina maturescant, quoties nimirum mitior autumnum verque supplet. Sic aconitum unifolium bulbosum luteum, flores suos supra nives exerit. Relatum Nobilissimus Dn. Preses, in montibus Feltreisibus, quā Tridentum spectant, altissimis, quō sub æstate, cum p. m. Joanne Velingio, Anatomico & Botanico Professore Patavino, Heinrico Magno Heigelio Norimbergensi, Doctore Medico, ac b. t. Practico Ratisbonensi, aliisque Medicinæ Candidatis eximiis, Patavio, plantarum visendarum gratiā secesserat, altas inter nives gelidasque, ericorum vernantium amoenitates quām multiplices, maximā cum voluptate, aspexit. *Sempervivum majus* algores respuit, nec brumam rigidissimam metuit. Florent quām sēpē sub Octobrem & Novembrem apud nos rose, viola, signum imminentis pestilentiae creditæ à vulgo. *Rosa holoserica*, plena, quæ menstrua dicitur, hoc peculiare habet, quod singulis mensibus florem proferat; à frigore tamen custodiri desiderat.

FRUCTUM maturitas à causis etiam externis acceleratur. Uno verbo: diligens cultura, naturæ quæ impossibilia sunt, possibilia reddit, remotis impedimentis, & oblatis adjumentis debitis. *Cucurbitæ* citius maturescunt si scissilibus lapidibus imponantur, calore Solis per repercussionem fortiori redditio. *Vites* *Dono* *Quilli* *Gortaj*. Sed quorundam ea est conditio, ut maturitatem quām sēpius occultent. *Cause* sunt: 1. alimenti penuria, aut copia, sub ultimis temporibus: 2. ejusdem non proba digestio. 3. debilitas caloris coquentis. 4. modus substantiæ hujus vel illius plantæ. In hunc finem mala *Perfica* serotina, mespili, pyra & poma serotina, decerpuntur, & super stramina in cellis reposita perfectè maturescunt. Hoc in seminibus notissimum est.

TEMPS COLLECTIONIS ordinarium maturitas: extordinari. um necessitas utensis definit; nuncque tota, nunc folia, flo, semen, fructus, cortex, radix avellitur. Hic multum juvat, quo cœli sub aspectu planta aliqua decerpatur. Consule *Turnbeuferum* & *Schröderum* in *Pharmacopœia Medicæ Chymicæ lib. i. cap. 24. & 25.* Juvat etiam justo diei & mensis tempore, cœlo existente sereno, inque locum convenientem, pro ulteriori maturatione & usu plantas reponere.

Signa matuntionis, totam vel partem plantæ omnibus numeris perfectam exprimunt. Perfectio hæc flororum ex animis eorum. *Seminum* ex medullæ plenitudine & duritie. *Fructum*, partim ex sapore, odore, partim ex corticum, pericarpiorum colore, molitie, duritie, siccitate; partim ex seminum nigrarie; maximè omnium ex petiolari ariditate, flacciditateque; cùm siliquæ dissiliunt, exarescent, semen excidit, fructus sponte decidunt, patet. *Folia*, si justam acquisiverunt quantitatem, & integra sunt substantia, colore & odore. *Cortex, lignum, medulla*, sub autumno frequentius consistunt. *Resinae, lacrymæ*, suapte se produnt, cùm fragrantiores sunt. *Radices* hoc peculiare possident, ut succulentiores, plenæ & non cariosæ effodianter, antequam plantam denuo producunt, aut postquam herbam aut florem iterum amiserunt. Vid. Wecker. *ant. gen. lib. 4. cap. 14.* Alii *Luna augmenta vel decrementa*, ut in peoniâ, verbenâ, observant: certum aliquem diem: ut radices cichorii albi, die Joannis Baptistæ: in certo signo scrophulariam effodianter. Efficaciores esse quasdam viribus suis, volunt aliqui, si infra effodias: ut prædictam radicem cichorii pro langvinis profluvio sistendo, aureo instrumento: alii ferro tangi nolunt, sed manu solùm; quæ maximâ ex parte αποτακτάλογα esse censeo.

Quatenus verò forma plantæ etiam efficiens dicitur, tribuntur illi operationes, sive peculiaria quædam officia, quæ sunt atere, augere & generare simile. *Titelman. nat. philos. lib. 8. cap. 8.* Hæ actiones presupponunt potentias, quibus mediantibus ab eâ fiant in plantâ vivente. Earum similiter præcipue tres sunt: nutritiva, augmentativa & generativa. Nutritiva requiritur ad plantæ esse: augmentativa ad bene esse: generativa ad esse speciei.

Sunt qui nutritivam & augmentativam unam & eandem esse contendunt, ut *Scalig. exercit. 101. sect. 17. Tolet. in lib. 2. de anima cap. 4. text. 50. quest. 10. Francisc. Murcia de Llana in lib. 2. de anim. dist. 3. quest. 1.*

De differentiâ harum potentiarum à formâ, disceptatio intercedit inter *Thomam & Scotum*, eorumque sequaces. *Thomas 1. part. quest. 77. art. 1. defendit*, quod differant; contrarium verò *Scotus lib. 2. sent. dist. 16. quest. un.* Verba ejus hæc sunt: dico quod potentiae non distingvuntur realiter inter se nec ab essentiâ. Hunc inter

inter alios defendit *Joannes de Rada* part. i. controversial. 13. art. 2.

p. 42-403.

Nutritiva, (quæ secundum ordinem naturæ & originis prima est, *Carol. Franc. D' Abra De Raconta*, disp. 2. sect. 1. de facult. an. veget. in communi, quest. 2. omnia inquit maximè necessaria, *Eustach. a S. Paulo*, sum. philos. part. 3. tratt. 2. disp. 1. quest. 1.) est potentia, quæ planta, in quantum planta est, se conservat.

Nutrii ministrat concoctrix, neque, cum *Hippocrates lib. de veteri Medicinâ*, plantas quod sibi familiare est, attrahere, scribit, propterea sequitur, plantam propriè non coquere, sed solùm congenerem succum per radicem attrahere, quantum & ad nutritionem & ad auctionem ipsi necessarium est. Cùm enim actio nutrientis & passio nutrienti, sit unicus motus, hic autem extra plantam non sit, coquere etiam plantas, id quod attraxere alimenti debere, constat. Quod si quæ noxia sunt, quæ superflua sunt, ipsæ segregant, excernunt, morbis tentantur, convalescunt, non aliunde, quām à se habebunt, quod coquant, quod nutritantur, & quod vivant. *Alimentum* plantarū non est sola & simplex aqua; sed succus terræ. *Celeberr. Sebiziū de alim. sat. l. 5. probl. 121. p. 1484.*

Augmentativa, definita *Magiro lib. 6. Phys. cap. 3. theor. 55.* est vis animæ vegetantis, quæ corpus animatum (planta) ex assimilato alimento nutritum, in omnes dimensiones extenditur, & justam magnitudinem consequitur ad edendas proprias & convenientes actiones.

Generativa, qua generans (planta) communicat generatio eandem naturam. Ejus actio est generatio sive propagatio. Est que vel *naturalis* vel *artificialis*. *Naturalis* est, quæ per solam naturæ vim, sine hominis industria planta crescit. *Artificialis* est, quæ hominum curâ & industria, v. g. per lacrymas, folia, semen, vivi radices stolones, frusta radicum, ramos, submersionem, circumpositionem, terebrationem, infestationem, (quæ Itali crebrius utuntur in pomis citriis, aurantiisque du- & triplicandis, sub uno cortice. Tert etiam in anno infestationem administrant) déliberationem, annulationem (vulgò ad digitale,) emplastrationem, inoculationem, ablationem, transplantationem, planta, flos, arbor, fructus producitur. Hæc (verba sunt *Scaligeri lib. 1. de plant. fol. 77. 1. B.*) quem-

quemadmodum siant neque Medici describere interest, neque Philosophi præscribere: sed ad agriculturæ libros spectant omnia, quæ est pars œconomiae. Vid. *Carol. Steph. præd. rust. lib. 2. Port. lib. 4. cap. 19. usq; ad 29. Lauremb. Horticult. lib. 1. à cap. 14. usq; ad 29. exclusivè. Jo. Bapt. Ferrar. Flor. lib. 3. pag. 211. seq.*

His haud inconcinnè subjunguntur quædam de plantarum morbis. Hos morbos vocant alios præter naturam, alios secundum naturam. Præter naturam dicunt eos, qui violenti sunt, & planè extrinsecus adveniunt, ut vulnera, plagæ: secundum naturam, qui sæpenumero accident. De quibus itidem vide *Port. lib. cit. cap. 35. usq; ad finem libri. Lauremb. lib. citat. cap. 35. 36.*

Hos sequitur interitus & corruptio. Estque iterum vel naturalis vel præternaturalis. Naturalis est senectus, quum plantæ, sicuti animalia, ætate imbecilliores redduntur, languescunt paulatim & suâ quasi sponte intereunt. Præternaturalis, quum violentiâ quadam pereunt. Fitque variis modis, quos omnes recensere, nimis prolixum & præter institutum meum foret. Legi possunt *cittati Aurores. Rursum, corruptio vel est totalis, cùm tota planta: vel partialis, cùm certa aliqua pars interit.*

An ægrotante radice, simul tota ægrotet planta, quærenti ex me absolútè respondere non possum, nisi totaliter illa fuerit corrupta. Quæ verò in caudice corruptio suboritur, brevi totam arborem corrupcit. Medullâ pereunte in trunco arboris, mortem non accersit, indicio salices sunt. Læso cortice periculum maius imminet, hinc rami majores amputati denudando truncum pessundant arborem. Si defectus alimenti mortem adfert, aut radicum fibrae ab aëre ambiente, aut Sole exsiccatæ, non satis attrahunt, tabes conspicitur primò in summitatibus, mox deorsum serpit malum & arbor perit. Exemplum in Rosmarino deprehendes non spernendū.

Supereft quæstio, an etiam plantæ præditæ sint calido innato? *Excellentissimus Dn. D. Conringius lib. de calido innato, cap. 2. affirmativam his quinque rationibus probat: 1. quod omnes stirpes propriâ virtute capiant incrementum. 2. quod ex omnibus illis, etiam quæ frigidis medicamentis annumerantur, liquor calidus & inflammationi aptissimus, ope chymicâ liceat elicī. 3. quod nonnullæ mediâ brumâ vitescant & flores protrudant. 4. quod nonnullæ*

vim insitam caloris tactu prodant. s. quod multæ calefaciendi vim obtineant. *Ibidem* etiam argumentis, quæ contra innatum stirpium calorem adferuntur, respondet. Cæterum si animâ fruuntur plantæ, existimo operam inanem eos lusuros, qui calido vegetabili destitutas, has litigiosè proclament.

CAPUT III.

Partes plantæ examinat.

PLanta, ut totum est, jam visa est. Sequitur de partibus. Ut autem totum duplex datur, loquor nunc pro instituto, alias scio quod *Metaphysici* triplex constituant totum, esse entiale & integrale: ita etiam partes vel sunt essentiales vel integrales. Partes essentiales antè consideravi; nunc integrales videbo.

Partes integrales sunt, quæ integrant materiam, ut definit *B. Scheiblerus Preceptor meus* (heu quondam!) *desideratissimus Operis Metaphys. lib. 1. cap. 6. §. 8.* Vel secundum *Mendozam Phys. disp. 1. sect. 2. §. 8. pag. 218.* quarum una sublatâ tollitur compositi integritas; non tamen conceptus quidditativus.

Hæ iterum vel sunt *omoioumētēs*, *similares*, vel *āvoumōmētēs*, *dissimilares*. Græca vocabula sunt admodum significantia, & statim indicant naturam partium similarium & dissimilarium.

Non moror nunc *Scaligeri* censuram *ἀνεβολογικόν*, qui comment. in lib. 1. de plantis, pag. 52. 2. *C.* has Latinas rejicit appellations, relinquens hanc item *Grammaticis*, & quibus plus otii suppetit.

Sunt autem partes *similares*, quarum particulæ tum inter se, tum toti sunt similes. *Dissimilares* sunt, quæ ex similaribus constant, adeoque dissimilis sunt naturæ.

Similares partes sunt vel *humide* vel *siccæ*: *humide* dicuntur uno nomine *succus*, quo plantæ aluntur, sanguinique animalium responderet. Proprio nomine caret. In quibusdam tamen plantis propria hi succi nomina adepti sunt. *Humor* enim, qui è capitibus papaveris incisi emanat, opium appellatur: qui ex reliquis partibus, præcipue caule, & foliis tuis exprimitur, meconium. *E. la-*
serpitio qui exprimitur, *Græcis ὄπρας*, *Latinis laser*, *Officinis Aſa*

vel *Affa* foetida appellatur; qui ex ejus caulisbus; *καυλίαις*; è radici-
bus verò *εγκέναις*. *Sicca* sunt fibriæ, caro, cortex, lignum, medulla.

Fibra, quas *Scaliger* i.e. pag. 51. 2. D. Græcè *ιατης*, Latinè *villus*
appellare mavult, sunt corpora teretia, lōga & subtilia, quaqua ver-
sus euntia, per rotum corpus plantæ disseminata, nunc mollia, nunc
duriuscula, pro partium diversitate, per quæ plantæ nutrimentum
accipiunt. *Venis* & *arteriis* in animalibus respondent. *Fibra* est vel
vena vel *nervus*. *Vena* est fibra major & succulentior ad distribuen-
dum plantæ succum facta. *Nervus* est fibra tenuior & siccior ad
plantæ consistentiam & quietem constituta.

Caro ea est substantia in plantis, quæ quasi subtegmen stamini-
textur adhæretque, & secundum omnes dimensiones dividi pot-
est, estque multiplex, vid. *caput. 5. de differ.* Ubique partium *reperi-*
tur, ad eundem tamen modum, quo carnes in animalibus aliae par-
enchymaticæ, aliæ musculosæ, membranosaæ, & simplices dicun-
tur. In hac sæpe capillitia, granulorum instar cohærens portio nu-
cleum sive seminum torum interius ambit. In pyris serotinis pas-
sim occurunt.

Cortex est ea pars, quæ veluti membrana plantam vestit, ab
eaque separabilis est. Hic aliquando duplex est, exterior & inter-
rior. Exterior qui crassior, generis nomine cortex dicitur; de hoc
Seneca Epist. 90. corticibus arborum pleraq; gentes, tegunt corpo-
ra. Interior tunica dicitur, à tuendo, item liber, quod antiquitus
vicem chartæ sustineret. Putamen è corticum genere, fructibus
tantum debetur, estque signum quo fructus à semine differt. *ωδη-*
μετρος cortici adhærens, sæpius inter cortices positum invenies.

Lignum est pars interior dura, attamen propter poros fissilis.
Continuum enim non esse lignum patet, cum aërem admittat undi-
que & emitat. Lineæ quæ in ligno secundum longitudinem
sparguntur, pectines disuntur, Græcis *ὑπόδοντες*, alias etiam *κλύδονες*,
per has lignum diffindi potest.

Medulla est ea pars, quæ in medio ligni residet, & tertium à
cortice continetur. Dicitur etiam cor, item Matrix. *Keckerman-*
nus lib. 5. system. Phys. cap. 2. pag. 568. Medullam & corticem in-
ter partes dissimilares recensuit, lignum verò pag. *preced. 567.* inten-
similares, cum tamen medulla ligno multò sit simplicior. Medulla,
carne,

carne, nervis interdum est permixta, interdum lignosa, duriorē; cortex prædita.

Solent aliás *antores* partes similares distinguere in simplices & similes: ad illas referunt fibras & carnem; ad has corticem & medullam.

Dissimilares sunt, radix, caudex sive caulis, stolones, truncus, ramus, surculus, oculus, gemma, germinis, folium, pediculus, spina vel sentis, flores, petiolus, foliolum, stamina, umbilicus, stylus, apices, calyx, unguis, julus, fructus, semen, pericarpium, spica, silqua, echinus, nucamēta, panicula, botrys, galla, folliculus, culmē, ather, capreolus, caput, umbella, muscarium, coma, pappus, tradux, turiones, vertex. Reliquas partes lūbens prætero, cūm præcipuas hīc recensuisse, sufficere videatur. Legi potest *Ruellius lib. 1. de naturā Hirpium*, cui hæc potissimum accepta fero, quæ de partibus.

Radix est pars ima plantæ, ad ejus nutrimentum attrahendū coquendumque facta. Hæc quia prima nascitur, ac postrema interit, in hoc habet cordis proportionem: quia cibum prima sumit, oris officium facit: quia est in eā prima concoctio, ventriculi vices gerit. *Scal. comment. in Theophr. lib. 2. de causis plantarum cap. 15. pag. 134. D. editionis Crispiniana. Spigelius in Isagoge lib. 1. cap. 5.* tubera terræ nihil nisi radices esse, ait, quodā sub terrā latitēt. Hoc credit, qui volet.

PARTES radicis, *Columelle lib. 4. cap. 1.* capillamenta, quæ à radice exeunt, fibrillæ vocantur, vel à similitudine, vel quod annue solent attonderi, ut major evadat planta & augescat. *Situantur* nunc subter, ut in nareffo, cępā: vel à latere sunt, ut in longis & geniculatis radicibus, acoro, petroselino, &c. Non obfirmandam lanè arborem, dantur enim, quæ paucissimarum sunt, sed ad alimentum feliciter attrahendum, unde *Lacteū Asellianū* in corpore animalium verè respondent. Radix ex corticibus, nervis, fibris, medullā constat. Hac ipsā toti consentit, & causa forsitan, cur, salicū, vitis, rorismarini, leucojorum &c. rami decerpti, germinent & defossi radices agant.

Interrogatus, an omnes plantæ consurgant à radice, cum *Spigelio l.c.* affirmavam ut tuear, dico si capillamenta fibræq; illarum non excludantur, quæ in lenticulā pro radice sufficiunt. Qui ob-

jiciunt Gal. 6. de placit. 6. plantas ita simpliciter per radicem non vivere, quod enim animalibus est venter, id & arboribus est terra. Aloë diu suspensa, superstes permanet, vivit & nutritur. Arundo in piscinâ exsiccata, arida sit & interit: his respondendum, locum aliud esse plantarum & ventrem, alimenti, aliud locum earundem & ventrem, coctionis, ille terra, hic radix dicitur.

Caudex est id, quod à radice supra terram assurgit, & per quod alimentum sursum defertur. In herbis caulis vel cauliculus dicitur.

Stolones Græcis οὐρανοῦ δέξ, ab adnascendo, sunt arborum pullulationes ab radice.

Truncus est pars inferior, radici vicinior, sive id, quod detruncatis ramis supereft.

Ramus est quasi brachium à caudice vel caule assurgens, copioseque se diffundens. Pars qua rami enascuntur, nodus dicitur. Græcis ramus & nodus, uno nomine dicitur ὄγκος.

Surculus est, qui ex ramis enascitur. Græcis κλάδος, quo tamē nomine etiam ramij veniunt. De surculi vocabuli usu, ita scribit Scaliger exercit. 140. sett. 1. Cujusdam uxor de arbore cūm se suspendisset: quæso, inquit, vicinus, cedo surculum. Serere namque cupiebat, ut ex eo cresceret arbor unde sua quoque pari felicitate pendere posset.

Oculus in surculis dicitur, unde germen producit: hinc inoculatio.

Gemma est id, ex quo flos prodit: quod nomen ut formarent, translatione sumtā à lapillis pretiosis, necessitas coēgit, inquit Quintilianus lib. 8. Gemmæ magis arbores dicuntur & vites: oculos habent herbae & flores proditæ.

Germen est, quod primo vere ex surculis exit, ex quo deinde folium producitur. Quanquam utrumque confundatur.

Folium est id, quod humore & carne constans, ipsam plantam vestit atque exornat. Græci φύλλον appellant, sine quo plantæ nudæ & calvæ apparent, cūm deciderunt. Respondent capillis hominum.

Pediculus est fulerum, quo folium dependet.

Spina vocatur, quod prætenue in durum mucronem occaluit, sic

sic ut vellicet, vel stimulo quodam lassat. Dicitur etiam *sensis*,
quia, si comprimatur, a tangentibus sentiatur.

Flores, inquit *Sennertus epit. nat. scient. lib. 6. cap. 3.* quasi plan-
tarum foetus sunt, qui in semine & fructu absolvuntur; vel potius
primum fructus involucrum. *Ruellius de nat. stirp. lib. 1. cap. 2.*
gaudium arborum herbarumque vocat. Unde florere & floresce-
re dicuntur plantæ, cùm vere novo flôres emittunt, & conspicue
apparent.

Petiolum voco id, quo flos vel fructus dependet. In pyris,
pomis, Cerasis &c. floribus nasturtii Indici, balsaminâ fœminâ. Cum
hoc tamen sèpius pediculus confunditur:

Foliolum est pars floris lata, plana & tenuis, instar communis
um foliorum.

Stamina sunt, quæ veluti filamenta ab intimo floris sinu è ca-
lyce erumpunt, ut in liliis, tulipâ.

Umbilicus vocatur, quod in medio staminum prominet. Est
etiam id, quod in pomis medium vel prominet, vel conditur.

Stylus est pars floris oblonga, sed paulò staminibus crassior,
eque centro umbilici emergit, quem *stamina* & *apices* potissimum
ambient; in liliis, tulipis.

Apices sunt crassiæcula illa corpora, quæ in summo staminu-
dependent. Hæ quatuor partes præcipue in liliis observantur,
maragonibus dicitur.

Calyx èπονος *narcissi* est quo primum flos, deinde foetus te-
gitur; talem habent rosæ. Est & aliud *calix* in narciso, figurâ flo-
ris calicem referens.

Ungues sunt imæ foliolorum partes in foliatis floribus &
rosis, quibus calyci cohærent, magnâ ex parte decoloris, & sine odo-
re. A Pharmacopœis abjici solent, vocaturque flores exungulare,
ne facile putrilaginem aspergine contractâ sentiant. Ab his tulipa-
rum quædam consurgunt differentiæ, fundum diversicolorem o-
fendentes.

Julus est quasi oblongus vermis, singulari petiolo penſilis,
fructumque præcedit: est præludium floris in corylo & juglandi.

Fructus est, quod carne & semine compactum est, frequenter
tamen pro eo, quod involucro perinde quasi carne & seminio coa-
ctum.

atum est, accipi solet. Nonnunquam etiam denotat semen. Diferentiam tu vide loco suo.

Semen est principium oriundi; sive unde planta generatur. Principium seminis est, ubi plantis adhæret, indeque primum radices nasci constat. Hoc in fabâ est, quod διδύμος bivalva appellatur. Aristoteles οὐνα, alii umbilicum appellant, eò quod hoc loco principium generationis & vitæ consistat, & nutritio per hunc fiat. Diferentiam seminis & fructus, Aristor. lib. 1. de gener. anim. cap. 18. his verbis describit: ἀρέσκει τῇ καρπούσῃ διαθέσει τῷ υπερεγγύῳ τοῷ περγ. καρπός μηρός, τῷ εἰς ἄλλο εἶναι αρέσκει τῇ, τῷ σκέτετε ἄλλο. ἐπειδὴ ἄλλως αὐτῷ ταῦτα δέν. Semen & fructus inter se differeunt: prioris, posterioris, ratione, fructus enim, quod ex alio est: semen, ex quo aliud: nam alias ambo idem sunt.

Pericarpium est id, quod semen anibit. Latius sumtum hoc vocabulum, & semini etiam, suo cum cortice simul pruna, cerasa, &c. contribuunt.

Spica dicitur pericarpium in frumentis.

Siliqua tegumentum est, quo vel grana leguminum, vel herbarum semina concluduntur. Nam non legumina medd, sed & complures quoque & herbae & frutices siluantur, ut cytisi, lyfimachiae.

Echinus est, quicquid numerosâ congerie aculeorum stipatur, sive tegmen, sive caput, sive cacumen. Sic dictus est, quod globosissimis spinarum agmine, maris herinaceum mentiatur. Conspicitur in nuce metellâ, in ranunculo echinato, medicâ echinatâ.

Nucamenta vocantur ea, quæ callo squamatim compactilis pendet è ramis nucum: ideo quod sint quasi quedam naturæ rudimenta pineam nucem facere condiscens: vel quod apertissime in nucibus propendere cernantur.

Panicula est, quicquid sublongâ vel subrotundâ specie tumet, ut quæ pendet è picearum vel roborum ramis, ad hunc modum milium panicum, gramen paniculare, amaranthus, panicula sive spica reflexa, invenitur.

Botrys, racemus uvarum comparatur spectabilis in hyacintho botryoide, botryde herbâ, blito indicō baccifero, &c.

Galla est pilula inæquali superficie salebrosa, in glandiferis ar-

arboribus, ut *quercus*, *præter legitimū fructū p̄foveniens.*

Folliculus est theca rei cuiuslibet quæ granum vel semen con-
spicet involutum. *Observatur in Tulipānis, Senā Ruellii.*

Culmus sive *calamus* est, quod spicam sustinet, ut in aristis.

Aster in hordeo propriè cuspis ipsa spicæ.

Capitellus in vite est, quod, ut vites teneat, serpit ad locum
capiendum, manuum vies fungitur, ut administricula seu pali com-
prehendantur. *Clavículæ* alias vocantur, & in *bryoniâ*, vite albâ
conspicuæ.

Caput est, quicquid in globum exuberat aut in orbem glo-
meratur. *Conspicitur in Papavere, carduo spherocephalo.*

Umbella vocatur, quod in caulinorum fastigiis exortum in-
plures petiolos digeritur, qui simul in latitudinem expansi, in or-
bem circumaguntur, & flores seminaque proferunt: ut videmus in
fœniculo, sambuco. Flores umbelliferi videantur apud *Dodon-*
bistor. stirp. pemptad. 2. lib. 5.

Muscariū à flabri similitudine, cuius ventilatum muscae abi-
guntur, vocant in orbem radiatas herbarum comas, cacuminaque
in fasces coacta, ut in vite albâ, & cyano Turcio.

Coma quicquid hilari venustate crinum modo, summa ra-
morum vel colicolorum exornat, ut frondes, cum foliatum est
cacumen.

Pappi sunt lanosi illi villi, qui deflorescentibus aliquo herbis
remanent, & postmodum in auras evanescunt. Ut in carduis,
senecione, taraxico, chondryllis, conyzâ, plerisque aliis fit.

Tradux est viviradix vel planta aliò inde tractum & propaga-
tum ut describit eum *Carolus Stephanus lib. 2. præd. rustici pag. 140.*
Budæo *Quesentijoz* dicitur, hoc est herba cum radice ad trans-
plantandum idonea: differt à vivaradice, quæ ipsum radicis cor-
pus & veluti caudex est.

Turiones dicuntur teneritates summitatū ipsarum planta-
rum, quæ singulis annis crescunt. *Aliù* locustæ dicuntur, ut in
sambuco, abiete, junipero, in arboribus fructibusque potissi-
mū, his summitates in herbis respondent, ut in absinthio Pon-
tico, melissâ. Sunt qui ad verticem referunt, hic idem ac coma,

Ver-

Vertex sive *cacumén*, item fastigium id est, quod longissimè ab
radice distat intervallo.

Partibus plantarum subjungi solent earum excrementa: ea
vel sunt liquida vel solida. *Liquidæ* vel manent talia, ut lacrymæ,
vel solidescunt, ut gummi.

Lacrymæ sunt humores, qui ex plantis suâ sponte exsudant: hi
1. *aqua*ri, ut ex ferulâ, vite, salice: *oleosi*, ut ex oleâ: *resinosi*, ex myr-
thâ, balsamo, &c. Vel solis calore educti, ut mastichis grana, thuris:
vel copiâ expressi, ammoniacum, oppopanax, terebinthina: vel ab
ipsis plantis, aliquâ occasione dehiscentibus expûlsi, ut *pix*. *Magir.*
lib. 5. physi. cap. 6. theor. 10. Gummi est lacryma concreta, Diffe-
rent gummata à resinis ratione plus acroamaticâ quam exotericâ.
Resinæ oleaginosæ magis consistentiæ liquidiusculæ & duriusculæ.
Gummi resina, concreta lacryma arboris est, in oleo promptius li-
quatur, ut mastiche, styrax. Gummi simplex facilius in aquâ sol-
vitur, ut euphorbium, sagapenum.

Solidæ sunt fungi, muscus, viscum.

Fungi (quos *Porphyrinus* Deorum filios vocat, ut testatur *Ruel-*
lius de nat. stirp. lib. 3. cap. 114. quia provenire videntur sine semi-
ne; Ego verò mallem eos vocare filios terræ hoc est, ignobiles, ut
explicat *D. Gotofredus in notis ad M.T. Ciceron. lib. 7. epist. 9. lit. d.*)
alii è terrâ exeunt, alii arborum caudicibus adnascuntur: de his hic
sermo est. Insident crasso tereteque pêdiculo instar lati pilei, à
medio centro tenuibus incisuris ad circumferentiam usque produ-
ctis striati. Carent medullâ, nervo, venâ. Vix ulla est arbor in-
quit *Dodoneus stirp. histor. pempt. 3. lib. 5. cap. 23.* cui non senescenti
hujusmodi fungi subinde adnascantur.

Muscus arboreus (triplex enim est, terrenus alias, alias mari-
nus, alias arboreus) villosum quoddam est, ex multis tenuiter ac
variè dissectis subinde veluti foliis inter se implicitis, confusum,
quod arborum adhærescens corticibus, à truncis ac ramis de-
pendet.

Viscum ex arboribus educitur, quasi cornua ex ossibus anima-
lium, semper virens. Agitari solet controversia, de ejus materia
& generatione, quam inter alios tractarunt *Scalig. exerc. 168. Hor-*
neus disp. Phys. 11. thes. 29. seqq. Sennert. Hypomn. 5. cap. 7. qui videan-
tur.

tur. Credibile est, aberrare non secus in arboribus atque in animalibus naturam. Videtur esse *vō̄dō̄ dēvō̄dēgv*, quasi spuria arbustula. Nulla quercus est, ut *Bellonius* refert, allegante *Bauhino Pian. theat. botan. lib. II. sect. 4. pag. 423.* inter montem Athon & urbes Ceres & Tricala, quæ viscum non alat.

Alia est divisio partium in *perennantes* & *deciduas*; *perpetuas* & *annuas*. *Perpetuae* sunt *radix*, *medulla*, *cortex*. *Annuae* *flores*, *fructus*, *folia*. Hæc tamen non in omnibus plantis annua sunt, sed perpetua in *taxo*, & nonnullis aliis. An detur planta quædam sine foliis, cuscuta monere videtur, quæ *ā̄vō̄mō̄* appetet? sed sæpe flores foliis suis defectum genericum hunc in speciebus restituunt. Aut si mavis, foliis flores insident. In *Orobanche* verò faciem mutant & squamas referunt: in *tussilagine* flos cum petiolo primò erumpit, post folia prodeunt.

Dividuntur etiam plantarum partes, in *communes* & *propriæ*. *Communes* sunt *radix*, *caulis*, *ramus*, *folia*, *flos*, *semen*. Ubi *notandum*, quod quidem omnibus plantis hæc enumeratae partes communes sint; non tamen omnes omnibus; sed quod harum aliquam saltè, si non omnes, cunctis plantis inesse oporteat. *Propriæ* sunt: *julus*, *spica*, *siliqua*, *echinus*, *galla*, *capreolus*, &c. *Propriæ* partes omnibus specierum individuis, aut plurimis eorum adfunt, nisi quid impedit, ut terra, regio, aer, vel aliud quippiam.

Possunt quoque dividiri partes in *necessarias* & *non-necessarias*. *Necessarias* vocant illas, sine quibus nullâ planta vivere potest, eique necessarias esse, quatenus planta est. Tales sunt, *radix*, *capillamenta*, *fucus*.

Non-necessarie sunt omnes propriæ, quæ non convenient plantæ, ut planta; sed ut hæc vel illa est.

Interim bene tenendum est, quod luggerit *Barth. Maranta*, *meth. cogn. simpl. lib. I. cap. II. pag. 69.* Si in descriptiones quandoque incidas, quæ numerum quendam partium plantarum statuant, noli illum tam accuratè querere, ut neque majorem, neque minorem reperiri posse existimes. Sic enim non solùm naturæ ipsius vi, quæ maxima est, derogas; sed te ipsum offendis, ut qui in simplicibus veris indagandis multum temporis, atque operæ lusurus sis.

CAPUT IV.

Divisionem seu genera plantarum
proponit.

Solent rei herbariae Consulti communiter plantam, in quatuor summa genera, quæ vocant, dividere; *βοτάνην, πίαν, herbam, Φεύγανον, suffruticem, (Scaliger crenium) θάμνον, fruticem, & δένδρον arborem*. Hac in re imitati sunt exercituum duces, qui exercitum suum in certas distribuunt classes, hisque singulis suos præficiunt ductores.

Herba, πίαν, cuius caules & culmi sunt molles, haudquaquam lignosi, est planta constans caule annuo. Gignitur verò & absque caule, radice magnâ ex parte foliatâ, ut sunt, plantago, brassica, beta, frumenta, & legumina. Ad fruticum nonnullæ similitudinem accedunt, quas *θάμνος* vocat Dioscorides, ut salvia, androsæmon, polygonon, &c. Vide Dodon. *histor. stirp. pempt. 1. lib. 1. cap. 1.* Scaliger h. m. describit, *comm. in libr. 1. de plant. fol. 62. 2. A.* Herba est, cuius satuexeunt ab radice ilico bina folia, post ea foliolæ, qua è seminis in ipsâ transmutati substantiâ fiunt primum.

Suffrutex. Φεύγανον est planta minima inter lignosas, quæ altitudine & crassitudine, caudice perenni constans. Hoc negat Scaliger *exerc. 139.* nam, inquit, & lingua cervina sine stipite perennat, quæ sine controversiâ herba est. *πολυσέλεσχες* à radicibus & multis exiguis caulibus exit, *πολύνιλαδον* quoque, mediae inter herbam & fruticem consistentia, ut rubus, hedera, lavandula, &c. Rejicit *cremum* appellationem Dodoneus l. c. & putat, malè esse redditam, in *Psalmo 101.* (Hebræis est 102.) vers. 4. vocem *Φεύγων*, per *cremum*; contrarius est eximus Lexicographus I. Scapula in *Lexico Graeco Latino* fol. 1767. sub voce *Φεύγων*. Item Ambros. *Calepinus* fol. 346 sub voce *cremum*. Possem addere, quod *Aquila* non *Φεύγων*, sed *καλός* legat. Neutra lectio congruit textui Hebræo, in quo *πάντα* habetur, quod R. David Kimchi cumm. in hunc locum, per focum, sive locum ubi ignis accenditur, explicat. Nihil ergo videtur attulisse *Dodoneum* contra *cremum*. Sed hæc *παρεργά*, cum forsitan hæc alias sint loci. Idem *Dodoneus* ibidem ad suffruticem refert *Spartum*; verum *pempt. 6. lib. 2. cap. 3.* ad fruticem.

Frutex. Γαύνος Græcè, ad justam arboris magnitudinem non accedit neque amplitudinem neque crassitudinem ejus assequitur. est planta mediocris altitudinis & crassitudinis inter lignosas, caudicem habens perennem & multiplicem. Est etiam *μονοστέλεχος*. *Corylus*, *rhamnus*, *oxyacantha*, *ligustrum*. *Plinius hist. nat. lib. 14. cap. 16.* addit *latirum*, *juniperum*, *cypressum*, *cedrum*. Fruticis vocabulo pro stipite usi sunt, *Plinius lib. 12. hist. nat. cap. 11.* Et *Svetonius in vita Vespasiani cap. 3.*

Arbor δένδρον Græcè, est planta lignosa, crassitudine & altitudine inter omnes maxima, haud facile dissolubilis, caudice constans perenni & simplici. Crescunt incredibilem in altitudinem, lege *Scal. exercit. 166.* Mediocriter, dum virent, molles, dum siccantur, duræ. Pingvi autem non salso aluntur humido. Ob id, pergit *Cardanus lib. 8. de subtil. p. 267.* pingvissimum & minimè salsum Indiae solum existimandum, quod in momentum crescent arbores. Referunt enim ibi quandam inventam è Ceiba genere (nam hoc arboris genus omnium maximū) trifida inter cæteras, &c. Ligna pulcerima *fraxinus* in Germaniâ monstrat. *Platanus arborei pulcerissima*. Hæc aliquando regum regē *Xerxes* mieruit amatorē. Primo enim admiratus eam est: deinde adamavit ita, ut in expeditione proficiscens diem unam integrā sub illam consumserit, ut refert *Aelianus variae historiæ lib. 2. cap. 14.* Causas hujus pulcritudinis recenset *Cardanus l. c. pag. 265.* Quid arborem commendet suggestit *Aelianus l. c. ἐπεὶ τὸ Φυΐδης*, inquit, καὶ ὁ σκεπός θεοῦ, οἱ γραιοὶ οἱ πλάστοι, καὶ η κοινὴ πολλὴ, καὶ σερεον τὸ πρέμνονται αἱ φίλας τὸ βαθός, καὶ Διαγείοντες οἱ ἀνεμοί, καὶ αἱ φιλαθρίς οἱ ἐξωτικῶν σκια. In arbutis commendantur generosi rami, foliorum frequentia, stirps firma, ac stabilitas, radices in profundum actæ, ventorum agitatio, umbra ex iis procedentis amplitudo. Violare arbores apud Indos capitale est, teste *Curt. de reb. gest. Alex. M. lib. 8. cap. 9.*

Videtur quidem posse omnes plantas sub his quatuor summis q. generibus comprehendendi; contingit tamen quandoque ex his nonnullas à figurâ suâ descidere, & ad aliud genus quodammodo transire. Quâ de causâ definitiones, adde etiam divisiones in Botanicis pro exquisitis accipiendæ non sunt. His enim tricis qui se implicat, inde tam facile se non explicabit. Veritatis amatoribus

hæc sufficere possunt: neque enim usque adeò superstitione hæc discernere oportet, dicente *Velcurione comm. phys. lib. 3. cap. 19. fol. 180.* Huc spectant subdivisiones v. g. ARBORUM, in fructiferas in plenę, ut pomus, pyrus, palma, olea: sylvestres, ut quercum, fraxinum, populum: perpetuā fronde virentes, ut laurum, piceam, cedrum magnam. FRUTICUM, in spinosas, ut rubum, oxyacantham: non-spinosas, myrtum, viticem. SUFFRUTICUM, in coronarias, ut, lavandulam: umbelliferas, anethum, carum: corymbiferas, tanacetum. HERBARUM, in bulbosas, ut liliorum varias species, scillam, tulipam: tuberosas, ut arum, asarum.

Transmutationis herbæ in fruticem, hujus in arborem, arboreis in fruticem, exempla *Theophrastus* adnotavit, in vitice, paliuro, ricino, quem duodecim pedes altitudine æquantem mira cum voluptate, præterito anno in horto Medico minore, hic foëticum adspexi. Flos Solis Indicus maximus, planta maxima *Baubino* dicta, *Serenissimo Svecorum Regi*, CAROLO GUSTAVO, ab inclyto *Societatis frugiferæ* collegio, in signum attributa, locum hic meretur.

CAPUT. V.

Differentias plantarum exhibet.

Differentiae plantarum desumuntur ab earundem formâ internâ, & externâ, à totâ naturâ, ab ortu, loco natali.

Internæ & *specificæ* formæ, quibus ab invicem differunt, nobis ignotæ. Innotescunt autem quodammodo viribus & qualitatibus suis, quibus prædictæ sunt: de quibus *capite* sequenti.

Formam *externam* voco figuram seu faciem, tam *internam*, quam *externam*, plantæ, cui vegetativa anima inhæret. Hujus formæ tot sunt *differentiæ*, quot partium innumeræ deprehenduntur varietates.

Ut quasdam recenseam, (omnes enim recensere nec instituti ratio patitur, neque possibile videtur) primò occurrit *differentia in succo*, quoad quantitatem, alia paucum obtinent, multum alia. In India Occidentali, scribit *B. Joannes Arnd de vero Christianismo lib. 4. cap. 3.* Insula est, in qua nulla aqua potulenta cum sit, ejus vicem supplet arbor, ex cuius foliis tantum aquæ exsudat, quantum tota

toti Insulæ potandæ sufficit. Quoad colorem: viridis in plurimis; luteus in chelidonio majori: albus in tithymalo: aquosus in viti-bus: sanguineus in hyperico. *Virgil 3. Aeneidos vers. 281*

que prima solo ruptis radicibus arbos.

Vellitur; huic atro linquuntur sanguine guttae.

Fibra in quibusdam partibus intus conspicuntur, ut in cau-dice abietis: in nonnullis extant, ut in plantaginis foliis, & vel citra dilacerationem extrahuntur, ut in equiseto, plantagine: cum dilaceratione, ut in reliquis. Sunt modò lacteæ; ut in carduo Syriaco, papavere spinoso Cretico, modò sanguineæ; ut in lapathio sangvi-neo. &c.

Carne majore ex parte carent arundines: quibus interius me-dullosum quid spongiosumque ires. Quibusdam caro crassa, ut radicum: densa, lignorum: rara fructuum: sapida, quæ suam habet latitudinem, male vel bene sapiunt, ut fructus arborum vel dome-sticarum vel sylvestrium; insipida, aquea qs. ut bliti, olerum plero-rumque, solani fructus.

Cortex aliis tenuis, ut lauro: crassus robori: omnibus per adole-scentiam lævior, in senectute rugosior & crassior. Asper her-bis spinosis. Color in adianto nigricans: candidans in frumentis maturis.

Lignum aliis durum, ut robori, cuius tanta est duritia, ut te-rebrari nisi madefactum non queat, *autore Ruellio de nat. stirp. lib.*

cap. 4.

In fluvio prope Florentiam fagi truncus ad longitudinem cubiti inventus, totus lapideus factus, vestigiis saltē remanentibus, ex quibus dignoscetur. Radix Bryoniae lapidefacta in Galliā non longè ab arce regiā Fontainebleau asservatur. Utriusque fragmenta in amplissimā timothecā *Incomparabilia Viri Dn. D. Rolfinii, Philosophi & Medici supra laudem elevati, Mecenatis & Preceptoris mei venerandi*, conspicua. In lapidem conversam alnum, monstrant fragmenta hujus, quæ in arce Misniae à fundato-re AUGUSTO Electore Saxonicō, Augustoburgum nomen habente, hodienum in memoriam asservantur, queis de particulam mihi vi-dendam exhibuit *Nobilissimus & Excellentissimus Dn. Preses*, nec non lignum petrosum ab *Illustrissimo Fr. Corvino, Cive Romano ipsi*.

dono quondam datum. Lignum in naturam luti Armeni conversum habuit *Baltasar Klein* in epist. ad *Mattiolum* (habetur apud *Mattiolum* lib. 3. epist.) In lapideâ quadam Bohemiam montis fodinâ repertus est à fossoribus integer ac ingens abietis arboris caudex, totus lapideus factus; ut testatur *Mattiolum* l. c. in respons. ad præcedentem epistolam. Ligna ferri duritiem æmulantia exhibet. *Gasparus Baubinus* in *Pinace* lib. II. sect. 6. pag. 449. Molle tiliæ.

Medulla carnosa sambuco; lignosa pino. Membranis similis in arundine.

Radices numerosas habent asarum, chelidonium minus, plantago: prægrandi crassaque radice exsurgunt helenium, bryonia, longan fœniculum habet: *Scaliger comm.* in lib. I. de plant. fol. 17. 2. A. ad duodecim pedes pertingere radices vidit. Exiguâ radice gaudet ranunculus. Mollis radice constant althæa, malva. Nigricat radix veratri nigri: candidat ari, ononis, asparagi, trifolii, iridis. Flavâ radice sunt glycyrrhiza, lapathum, chelidonium majus. Odorata acorus, angelica. Dulcis saporis polypodium: amari helenium.

Trunci crassities non omnibus æqualis. In Mauritaniâ (est Africæ regio extrema) inveniuntur vites, quarum truncum duo homines simul brachiis expansis complecti nequeunt. *Autor Atlantis minoris part.* 2. fol. 360. 2.

Caudex sive *caulis* perennis arboribus, annuus herbis: rectus artemisiae, cypero; curvus prunellæ: crassus telephio; tenuis fumariae: cavus livistico; solidus ebeno. Datur nodosus & sine nodis, ut in graminibus. Teres alsine; trigonus, ut in gramine triangulari Lugdunensi. Quadratus anagallidi, cardiacæ, menthæ: pentagonus. Hirsutus caulis est lithospermo majori, & pilosellæ majori.

Foliorum magna est varietas: aliæ adeptæ sunt unum, unifolium veluti, & ophioglossum: duo ophrys: tria nonnullæ tulipanæ: quatuor herba paris; plura aliæ multæ. Incerto foliorum numero prædictarum, (omnes enim plantas certo foliorum numero non constare, contra *Cardanum* disputat *Scaliger* exerc. 177. sect. 5. nam & pilorum numerus, ait, idem erit in gemellis hædis.) aliæ pauca, aliæ multa habent. Magna habet brassica, cuius unum folium proceri hominis palliolum fuisse, scribit *Scaliger comm.* in lib. I. de plant.

plant. fol. 62. 2. C. parva multæ alia: crassa sempervivum; fucus Indica: tenuia complures: capillata fœniculum: pinnata filix: aspera borago: mordacia urtica Romana: mucronata iris: perforata hypericon: tercia sempervivum, dictum vermiculare: orbiculata cotyledon: concava labrum Veneris: alia turbato ordine posita, ut in tithymalo: alia certo, ut in trifoliaceis, heptaphyllis: quædam alternatim, æquis intervallis ramum vestiunt, ut martagonum folia. alia eandem rami partem ex adverso posita ornant. hinc *Spigelius Isag. in rem herb. lib. 1. cap. 11.* in nullâ alia parte major, quam in foliis varietas.

Pediculus alius longus, ut vitibus: curtus oleæ & ilici: rectus, flexus: eo caret lily.

Florum itidem magna est varietas: alii prodeunt *hyeme*, ut eleborus niger, aconitum livemale: alii *vere*, ut violæ purpureæ, leucoium, auricula ursi, asarum, fumaria, geranium Robertianum, primula veris, hedera terrestris, lily convallium, ranunculus, oxyacantha, ornithogalum, senecio, flos ambarvalis, calendula, bellis. *Aestate*, vincetoxicum, tormentilla, ptarmica, polygonum, linaria, ophioglossum, hypericon, jacobea. *Autumno*, colchicum. Videatur *Sim. Paul. Quadripart. de simplicium medic. facult.* Numerus florum aliis obtigit par: impar, lilio convallium: certus, tulipis: incertus arboribus. Colorum in iis maxima est differentia; nec tot species colorum, quot in his spectantur, pictoribus cognitæ. Cum, inquit *Spigel. Isagog. in rem herb. lib. 1. cap. 12.* omnes species colligere ex floribus vellem, pictoresque optimos adirem, qui cunctas exprimerent, nullum unquam, qui id præstaret, inventire potui. Ita natura in hisce superavit humanum ingenium. *Andreas Cesalpinus de plant. lib. 1. cap. 7.* negat ullos flores esse virides; contrarium constat ex inspectione veratri nigri, cuius flores, cui virides non videntur, næille cœcutit!

Periolo alii longo, nasturtium Indicum: brevi, balsamina fœmina: crasso, tenui: aspero, cucumis asininus. Lævi, recto, curvo.

Foliola florū cava, ut in aquilegiā: expansa, in malvis: recta in flore solis: repanda, in iride, consolidata regali: inflexa in coluteā, antirrhino: rotunda, in blattariā, verbascō majori luteo. Alia imitantur calceum, ut calceolus Mariæ: alia dactylothecam sive digitale,

quo

quo virginis digitum munire solent intersuendum, ut sine laesione
acum impellere queant: unde etiam nomen obtinuit planta, hu-
jusmodi foliola habentes flores producens, & digitalis sive digita-
le dicitur. Orchidem Anthrophoram Oreade in mulieris nudæ
effigiem imitari, scribit & describit *Fabius Columna parte primâ*
minus cognit. stirp. *en. Geogr. cap. 146. pag. 319. 320.* Orchidem ve-
rò Anthrophoram alteram, effigie masculi hominis figuram ex-
primere, *idem part. alterâ cap. 4. pag. 8. 9.* Orchis Myodes muscam
refert, quam describunt *Matthias de Lobel*, stirp. *ub serv. fol. 90.* &
Petrus Pena in novis stirp. advers. fol. 62. Calathi figuram exprimit
flos smilacis laevis. Hæc, autore *Sellonio lib. 1. observ. cap. 43. & 45.*
in monte Atho ad summum usque celsarum Platanorum fastigium
perrebat: licet ipsa etiam arbor sidera petat.

Fructuum differentia oritur ex colore, odore, sapore: Ubi ob-
servandum quod *Theophrastus lib. 6. de causis plantarum cap. 19.* sal-
sum saporem plantis denegat; *Andreas Libavius* verò *Epist. Chym.*
lib. 3. epist. 58. pag. 414. testatur, alicubi nasci plantas salsas, ut Alca-
li, quam, inquit, circa Brunopolim sibi inventam in Saxoniâ nuper
referebat *Doldius noster.* Quidam salubres ut fraga, myrtilli, po-
ma, cerasa: insalubres alii, ut solanum furiosum, poma amoris apud
nos, quæ tamen in Indiâ citra noxam comeduntur: alii dependent
pediculis, ut sambuci, alii ramis adhærent, ut baccæ Juniperi in Sa-
lernio.

Semina alia includuntur pericarpio, ut pyrorum, jujubarum,
dactylorum: siliquis, leguminosa.

Siliqua aliae esculentæ, ut pisorum: aliae non totæ esculentæ, ex
mente *Scaligeri:* aliae nullo modo: aliae teretes, ut in barbareâ:
pressæ: curvæ in astragulis: orbiculatae, in thlaspi biscutato: Refert
Aristobulus, inquit *Strabo Geogr. lib. 15. fol. 462.* arborem esse non
magnam, quæ magnas siliquas habeat, ut faba, denorum digito-
rum longitudine mellis plenas.

Differentias à partibus sumtas, claudat *muscorum* differentia:
alius est inodoratus, alius odoratus. Laricis, pinus & abietis mu-
scum in Italiâ odoratum esse, autor est *Matthiolus comm. in lib. 1.*
Dioscorid. cap. 20. fol. 64. Plures differentias à plantarum partibus
sumtas, qui volet, legere potest apud *Ruelium de nat. stirp. lib. 1.*
cap. 3.

cap. 3. seq. Matthiol. comm. in pref. Diosc. fol. 9. Scalig. comm. in
lib. 1. de plant. Spigelium Isag. in rem herbar. lib. 1. cap. 9. seq.

Alia differentia sumitur à totâ naturâ : aliæ plantæ steriles, ut salix, quæ ὀλεσίναισθι hinc dicitur : aliæ frugiferæ, ut pomus, pyrus, cerasus &c. In insulâ Hispaniolâ triticum fructum reddit centuplum, teste *Autre Atlantis minoris part. 2. fol. 399. 1.* Aliæ quotannis, aliæ alternis annis tantum fructum ferunt. Pomorum in Italiâ ea est conditio, ut alternis annis fructificant, quâ de re elegantem epistolam conscripsit *Job. Baptista Sitonus Iatrosophie miscellan. part. 1. tract. 11.* Patavii excusæ. Suburbanum his plantis refertum habuit *Scaliger*, ut ipse testatur *loco citato fol. 83. 2. C.* Ex uxoris fundo, inquiens, mali mala ferunt alternis annis : ex uxore ipsâ, mala multa quotidie. Aliæ alimentariæ, ut triticum : aliæ medicamentosæ, ut calamintha : aliæ venenosæ, ut napellus. Non possum hic præterire, quin adscribam napelli insignem venenositatem, quam adnotavit *Dodoneus stirp. hist. pempt. 3. lib. 4. cap. 12.* Vis, inquit, & facultas napelli & homini & quadrupedibus multis perniciosa est. Evidenti sed perquam miserabili experimento, id Antverpiæ olim compertum, in recenti adhuc est memoriâ. Cum enim ab imperitis hujus inter acetaria illatae essent radices, quicunque eas ederunt, mox saevissimis correpti symptomatibus, brevi vitam cum morte commutarunt. Adde *Abub. Rhaze de remed. lib. 8. cap. 11.* & *Thom. lord. de pest. phenomen. pag. 626.* Ejus succo, teste *Avicennâ lib. 4. sen. 6. tract. 1. summ. 2. cap. 1.* imbibuntur sagittæ, quæ statim interficiunt obviū, quem inveniunt. Quædam etiam vel umbrâ venenatae. *Joannes Langius epist. med. lib. 2. epist. 30.* refert de suis comitibus, qui eruendis radicibus fessi, hic sub juglandis umbra, alias taxi prostratus, decumberent : experrectique alii capitis dolorem, corporisque pruritum conquererentur. Aliæ uni animali medicamentosæ, alii venenatae. De amygdalis amaris constat, quod homini sint medicamentosæ : de his tradit *Diocorides de materia medica lib. 1. cap. 176. ex editione Jani-Antonii Saraceni*; secundum *Matthiolum est, 139.* quod vulpes enecent. Consentit *Plutarchus*, citante *Petra Pena in stirpium adversariis, fol. 290.* *Casparus Hofmannus de medic. officin. lib. 2. cap. 162. §. 42. pag. 484.* in quadam codice pro vulpibus legit lumbricos. *Marcellus* (qui teste

Hofmanno l. c. felem vidit miserrime intetere post horam comedis
7. aut. 8.) legit in quodam codice : Καὶ ἐλευθερὸς οὐδὲ λάθη-
ναι, ut testatur Janus Antonius Saracenus in locum Diose. ante citat.
pag. 83. in marginalibus. Nuce vomicâ feles, canes, avesque interi-
mi, quæ tamen tutò & magno commodo adversis lethifera & Epi-
demicos morbos in Electuaris Liberantis, datur homini, testatur
dictus Penal l. c. fol. 291. Hoc tamen negat experientia eductus Sen-
nertus Medic. pract. lib. 6. part. 7. cap. 20. Et Pamplip. ad hunc locum,
pag. 168.

Ab ortu: aliæ propagantur altero tantum propagationis mo-
do, aliæ duobus, tribus, quatuor aliæ. Aliæ cultu sunt meliores.
Harveus de gener. anim. exercit. 50. Arantiorum arbores, inquit,
quidam apud nos multâ solicitudine, & mangonio colunt; earum-
que mala, quæ primo anno ad pollicis magnitudinem excrevere,
sequenti æstate ad maturitatem pertingunt. Aliæ sunt deteriores,
ut iris. Imò arbores reddi possunt purgatoriæ, teste Smetio miscel.
med. lib. 3. quæst. 2. pag. 148. Aliæ transpositione sunt meliores, ut
amygdalus. Galenus lib. 3. de sympt. caus. cap. 2. τὸ μὴ γόνον, inquit,
Ἐπέστιν Φύτον ἡ μετανομισθέντος τὸ περοῦ εἰς αὐγυπτίον, οὐδὲς
ἀγνοεῖ. Γενέσιμον μὴ λινάτη τὸ περοῦ, μετανομισθέντος εἰς αὐγυ-
πτίον μετέβαλε τὸ κινδυνώδες. Quod de Persicâ planta, qua ex Perside
in Ægyptum est translata, proditur, nemini est incognitum: letalis
siquidem in Perside erat, in Ægyptum autem translata, id quod peris-
culosum erat, mutavit. aliæ pereunt, ut pinus.

A loco natali tandem: montibus gaudet terebinthus: plani-
tie corylus: fluminibus arundo: locis palustribus ranunculus: la-
canosis nymphæ: uliginosis adiantum: aridis cynoglossum: o-
pacis violæ purpureæ: humidis althæa: cultis ornithogalum: in-
cultis psyllium: pratis anonis: vinetiis fumaria: arboribus (quas
stirpes Scaliger comm. in lib. 2. de plant. fol. 125. B. & Porta phyto-
gnom. lib. 6. cap. 22. parasiticæ appellant, quasi quæ visitent alienâ
quadrâ,) viscum. Captum cervum, hederam suis enatam corni-
bus gerentem viridem, seribit Aristoteles allegante Amelio Parisa-
no nobil. exercit. de subtil. lib. 12. exerc. 4. cap. 3. Hinc verè cecine-
runt duo nobiles poëtæ Virgilius & Ovidius: ille lib. 1. Georg. vers.
34.

Hic

Hic segetes, illic véniant felicius uvæ:

Arborei fœtus alibi.

Hic verò lib. 2. de art. dist. 380.

Nec tellus eadem parit omnia: vitibus illa

Convenit, hæc oleis, hic bene farra virent.

Quædam etiam non uno loco contentæ modò in hoc, modò in illo inveniuntur ut cardamine in vinetis, viis, & riguis: Lapatiū utrumque, utrobiique, aut ubique: quædam in montibus pariter & convallibus, ut eryngia, calamentum, polium, & alia quæ plura: unde diversas qualitates sortiuntur, ut docent *Hippocrates in Epist. ad Cratream. & Abub. Rhazes lib. 6. aphor. 107.* Imò quæ in hæc regione venenatae, in aliâ nihil malignitatis obtinet. Cicutæ damnati publico Atheniensium judicio extinguebantur. *Cornelius Tacitus annal. lib. 15.* item *Plinius hist. nat. lib. 25. cap. 13.* & *Scatiger exercit. 152. sect. 1.* Cicutæ folia, inquit hic, necarunt Franciscū Trapolinum, præceptoris mei Pomponatii præceptorem, virum sui seculi Phœnicem. Loco petroselini hausit in jusculta posita ab ancillâ. Adde *Mariobolum com. in lib. 6. Dioseor. cap. 11.* Ea tamen in Italia minus exitialis, ut habet *Illus̄r̄is Joannes Rhodius in emendat. & nor. ad Scribonium Largum, comp. CLXXIX. pag. 265.* Corona Imperialis nostratis noxâ caret; eam tamen cicutæ ferme similem Patavii ostendit, autore *Eodem. pag. 266.* Ita varia ac multiplex res planta est.

CAPUT VI.

Plantarum facultates investigat.

Superius dictum est, quod internæ & specificæ plantarum formæ, per carum vires, facultatesque, manifestæ fiant. De his ergo hoc capite sermo erit.

Per has facultates hoc loco intelliguntur illæ actiones, quas in humano corpore exercent. Etenim cum Medicinæ subjectum corpus humanum sit, etiam materia medica ejus respectu solùm consideranda. Quid enim Medico cum mulomedicina?

Harum facultatum aliæ sunt *simplices*, & constituunt alimentum, medicamentumque simpliciter ita dictum: aliæ *compositæ*, & constituunt alimentum medicamentosum, & medicamentum alimentosum.

Alimentum dicitur, quod corpus humanum nutrit & aptum est, ut triticum. *Alimentorum differentias collegit Experientissimus Sebicius lib. 1. de aliment. facult. cap. 3. & 4. & 7o. Dom. Salazar lib. de alimentis & eorum rectâ administratione.* *Medicamentum,* quod corpus humanum alterandi vim obtinet. *Alimentum medicamentosum* est, quod majorem nutriendi, quam alterandi vim obtinet. *Medicamentum alimentosum,* contra.

Plantæ ut medicamenta sunt, alterant vel qualitate *manifestâ*, quæ sensu deprehenditur, ac cujus causa manifesta reddi potest: vel *occultâ*, cujus causa à nobis ob mentis caliginem reddi non potest.

Manifestæ sunt tres: *prima* est, quæ ex clementorum mixtione oritur. Hæc duplex est: *simplex* & *composita*. *Simplex* est quadruplex: estque vel calefaciendi, vel refrigerandi, vel siccandi, vel humectandi. *Composita* itidem quadruplex: estque vel calefaciendo & siccandi: vel calefaciendi & humectandi: vel refrigerandi & siccandi: vel refrigerandi & humectandi. *Spigel. Isag. l. 2. c. 2.*

Harum qualitatum constituuntur gradus quatuor: *primus* est, quando obscuram & vix sensibilem corpus nostrum alterandi vim medicamentum obtinet. *Secundus*, quando manifestam citra tamen læsionem, noxiā & molestiam. *Tertius*, quando vehementem, sine corruptione tamen. *Quartus*, quando vehementissimam & non sine gravissimâ læsione. Hi gradus iterum distinguuntur in tres classes, quas *mansiones* vulgo vocant: dicunturque *principium*, *medium* & *finitis*. *Senn. Instit. med. lib. 5. part. 1. secl. 2. cap. 3.*

Ex primis facultatibus oriuntur *secundæ*, & sunt, quæ emolliendi, indurandi, rarefaciendi, condensandi, aperiendi, constipandi, attrahendi, repercutiendi, abstergendi, attenuandi, obstruendi, &c. vim obtinent. Legatur *Dodoneus stirp. hist. pempt. i. lib. 1. cap. 6.*

Terriæ ortum suum ducunt ex primis & secundis. Hujus generis sunt, quæcunque maturandi, suppurandi, carnem generandi, conglutinandi, cicatricem inducendi, callum dignandi, urinam ciendi, menses movendi, secundas expellendi, tussim sedandi, lac generandi, genituram dignandi ac extingvendi vim habent. *Idem l.c. cap. 7.*

Occulta

Occulta & quarta qualitates cui ortum suum acceptum re-
ferre debeant, autores non consentiunt: placet illorum sententia,
qui, à formâ medicamenti eas fluere, statunt. Huc referuntur ca-
thartica, amuleta, alexipharmacæ, alexiteria, appropriata. Per-
tinent huc etiam, quæ *avilatia* καὶ συμπαθεῖα agunt. Ita qui-
dam ex rosarum odore in animi deliquium incident, ut tradit *A-*
maria Lusit. cent. 2. curat. 36. item *Spigelius Isag. in rem herb. lib. 2 c. 13.*
Quibus mala fastidiū afferrent, plures novit *Scaliger, exerc. 274.* De
seipso, *ibidem* tradit: Ego, qui non ænea solùm, sed vera quoque
fulmina contemno: ad Cressoni conspectum tremo adeò, ut hor-
rore quassatus abire cogar. Strenuum militem agnovit *Marcellus*
Donatus de hisp. med. mirab. lib. 6. cap. 3. pag. 625. qui rutæ herbae
odorem, aspectumve nullo pacto ferre poterat, sed se in pedes da-
re, ac fugere eâ propositâ cogeretur. Qui allium abominabatur,
Bryrinus de re cibariâ lib. 9. cap. 12. Alii hac vel illâ plantâ, præ
aliis delectantur. Albinum Imperatorem adeò melonum & ma-
lorum persicorum esu delectatum esse, ut in unâ coenâ octo satis
magno melones, & mala persica centum comederit, scribit *Quer-*
cet. Diæt. polyhisp. sect. 3. cap. 3. p.m. 147. Vetulam, quæ melopepo-
nes, tanquam rem insvavissimam aversabatur, novit *Maranta,*
meib. cogn. simpl. lib. 3. cap. 13. pag. 262. Occulta qualitatis etiam
haud immerito censetur *Herba mortem aut vitam in morbis præ-*
nuncians, apud Nicol. Monard. simpl. med. hisp. cap. 74. fol. 350. Ne-
que enim haec tenus recensitarum facultatum, quas occultas dixi,
ratio redi potest à quoquam, nisi velit se risui exponere, dum ine-
ptas & ridiculas rationes affert.

Facultates planitarum cognoscuntur ratione & experientiâ.
Sed hic verum est, quod dixit *Hippocrates* *sect. 1. aphorism. 1.* οὐ τὸν
εργοφαλεγὴν, οὐ τὸν νείσις χαλεπήν. Sæpius namque aliquid ratio sva-
det, quod experientia dissyadet. Ad exactam tamen facultatum
dignotionem faciunt ratio & experientia conjunctæ: verùm non-
tam peccant, qui experientiæ soli, quâm qui rationi sine experien-
tiâ fidunt, dicente *Sennerto inst. med. lib. 5. part. 1. sect. 1. cap. 22.*
Vincit una experientia rationes centum.

Ratio desumitur à qualitatibus sensus nostros afficientibus:
inter quas excellit sapor. Indicia enim, quæ sumuntur à signatu-
ris,

ris, colore, & odore, incerta sunt, atque à particulari concludunt, ut cuivis patet. Vide sis, *Dodoneum hist. stirp. pempt. 1. lib. 1. cap. 9. & 11. Spigel. Isag. in rem herb. lib. 2. cap. 11. Nobilissimum Conringium de Hermetica medicina cap. 20. pag. 276. & 400.*

Experientia ex multis observationibus constat. Sic *Aristot. lib. 1. metaph. cap. 1. οἱ ποιῶντες μηνύουσαι τὰ περὶ γνῶστα μαζὶ εὑπερέχοντες διώνυσος λόγοι. multa rei ejusdem recordationes unius experientie vim perficiunt.* Hoc est, inquit, *Petrus Fonseca comm. in bunc locum column. 50. lit. l. ejusdem attributi, observari in pluribus individuis similibus inter se.* Unum enim exemplum non sufficit, alias fabæ vim laxandi haberent, quibus Patri *Spigelii* alvus lababatur, ut *ipse* testatur, *l. c. cap. 13.* Contrarium exemplum habet *Maranta loc. c.* Franciscus, inquit, in hospitali templo beatissimæ Virginis Annunciationi Neapoli dicato pharmacopæus, & materia medicamentorum studiosissimus, sepius mihi affirmavit, sed drachmâ integrâ scammonii non semel assumtâ nihil purgasse, unquam. *Fallopia de med. purg. simp. cap. 6.* narrat, Germanum quendam scammonii unciam unam sine noxâ sumisset. Et tamen multos reperiri constat, qui vix semel odorato pharmaco non secus purgantur, ac si bibissent. Quidam medicus, referente *Dn. Preside*, pharmacopolium aliquando ingressus, ubi tum temporis firupus vocatus solutivus conficiebat, largiter fuit purgatus, gravior autem fragrantiam istam rosârum alias ferebat. Quin & alios, quibus medicamenti purgantis factâ solum mentione, venter perturbatur. Addit *Mar. pag. 263.* Quendam etiam novi, cui astringentibus simplicibus alvus mollior reddebat; contra vero ex lenientibus suppressibatur. *Spigelii loco citato*, vidi, inquit, quendam Aloës magna frusta devorasse sine noxâ, sine purgatione ullâ, aut minimâ alvi lubricatione. Debet igitur unius ejusdemque rei observatio fieri in pluribus quæ experta censemur. Ut enim juxta proverbium Græcum, *μία χελιδών ἔρεις & ποιεῖ* sic nec una observatio experientiam facere potis est.

CAPUT VII.

Usum Medicum monstrat.

Plantas ad usum Medicum cui transferre animus est, nosse debet, quæ eligendæ, veræ & spurïs quomodo discernendæ, quo in loco

loco colligendæ, quando decerpēndæ sint, & quandiu durare possint.

Usurpantur plantæ vel totæ vel earum partes: videntes vel sic ex: solæ vel cum aliis. Etenim simplex affectus, simplici remedio, compositus composito propellendus, *Fernelius method. med. lib. 1. cap. 3.*

Unde vel partem affectam concernunt suis viribus, v. g. peonia caput, borrago cor, & cephalica, cordialia, stomachica, &c. dicuntur: vel *morbūn*, ejusque *speciem collunt*, unde antipleuritica quædam, ut flores papaveris erratici; antiarthritica quædam, ut iiva moschata prescribitur, modoque vel internè vel externè: in decocto, aut pulvere, tincturā, sub epithemate. Nunc integra, nunc quo ad partes & principia aqueum, Preum, Θinum scilicet.

Hinc præparatione opus est, tum ut id quod deficit, suppleatur, vel quod inutile aut etiam noxiū est, tollatur: tum ut aliam, atque aliam formam, qualis pro ratione ægri & partis affectæ extiterit, consequantur.

Preparatio est multiplex: vel *lavantur*, ut sordes auferantur, qualitas aliqua tollatur, nova adducatur, noxia corrigatur. *Infunduntur*, ut vis earum aut in humorē & liquorem transfundatur, aut facultas malefica castigetur. *Humeantur*, ne vis earum exhalet, ut sit in euphorbio, colocynthide. *Nutriuntur* ut humorē aliquem imbibant. *Triturantur*, ut in minimas partes redigantur, quod melius cum aliis misceri queant, faciliusq; in actum deducantur, ut piper tritum magis calefacit, quam integrum. *Coquuntur*, vel ut ipsa sic coctæ usui esse possint, vel humor in quo coctæ fuerunt. *Affantur*, ut copiosior humor absumatur, magisque pulverabiles reddantur. *Urruntur*, ut facilius in pollinem redigi queant. *Colantur* ut purior pars trajiciatur, crassa remaneat. Plures præparationes habent *Weckerus antidot. gener. lib. 3. Sennert. Inst. Med. lib. 5. part. 3. sect. 2. cap. 3. seq. Primero. part. 2. art. pharmac. pag. 48. seq.* Ubi quasdam præparationes, ut frustraneas rejectit.

Huc spectant præparationes chymicæ, de quibus præter dictos autores videndus *Beguinus in tyrocinio chymico. lib. 2.*

Cum autem non quisvis æger quovis delectetur, inventæ sunt

varia

variae forme, quibus ægri palato prospicitur. Quidam enim fa-
stidiunt pulveres, alii pilulas, alii potiones. Quare rogandus quis-
que est, quâ medicamenti formâ, colore, odore, & in illo sapore
delectetur. *Jacobus Sylvius metb. med. compon. lib. 2. pag. 363.* Et-
enim ingratum si fuerit medicamentum non comprehenditur, non
retinetur, sed ventriculum evertit & mox evomitur, aut dejicitur,
sine actione, uti & alimenta, quamvis meliora: quia tamen ingrata
sunt, non comprehenduntur à ventriculo, nec ob id coquuntur.
Propterea medicamenta daturi, vel foliis auri tegimus, vel vase ar-
genteo, stanneo, aut aliâ constante materiâ non transparente in-
cludimus: veluti etiam scalpello venas aut arterias secturi meticu-
losis, faciem aut velamus, aut alio torquemus. *Odoris gratia*
quantum in medicamentis tam sumendis quam admovendis vale-
at, non opus est ut prolixè demonstretur. Nam ut foetida stomachum
subvertere solent, sic odora roborant: sitque odore jucundo
non modò, ut jucundius sit medicamentum; sed etiam eo odore
spiritus animalis & vitalis reficiuntur. Hinc omnes graveolentia
fugimus tam sani, quam ægri, ceu naturæ nostræ contraria. *Sapo-
rum jucunditas* cuique hominum naturæ magni est momenti, ut
non modò alimentum sit salubre, sed etiam ut medicamentum
sumtum sit efficax. Hunc igitur saporem medicamento insignio-
rem dabimus, quo æger præter cateros delectatur, nisi ejus vis affe-
ctum nobis curandum insigniter sit auctura; neque enim semper
licet, sed quatenus ratio suadet: alias usu venit, ut, dum palato
blandimur, æger parum subsidii sentiat: imò aliquando in deteri-
us labatur, videatur *Sylvius l.c. pag. 364. seq.*

Formas quod spectat, earum differentiae sunt variæ, vel sunt
internæ vel externæ. *Internas Sennert. inst. med. lib. 5. part. 3. sect.
3. cap. 1. pag. 133.* appellat eas, quæ intra corpus per communem il-
lam, & usitatam cibi & potus viam assumuntur. *Externas* verò re-
liquas omnes, sive corpori imponantur, sive eidem illinantur, sive
alio modo applicentur, sive per alias, præter os vias, ut anum, ute-
rum, aures, nares illi immittantur.

Internæ vel sunt *fluïda*, vel *non-fluïda*: hæ vel molles & liqui-
dæ, vel planè siccæ. *Externae* vel quibusdam corporis partibus im-
mittuntur, vel corporis superficie faltem applicantur & adhiben-
tur,

39

tur, vel etiam saltēm appenduntur. Consule *Sennertum l. c.* Dividuntur etiam ratione partium, cūm aliæ aliis magis convenient. Hinc ratione sexus, quædam enim solis *mulieribus* conveniuntur, quædam *viris*. Possem ultimò addere ex mente *Sennerti l. c. pag. 1481.* cum quo facere videntur *Magnificus Dn. Rofincius epit. lib. 3. cap. 24.* & *Jacobus Primerosius part. 5. art. pharm. pag. 110.* differentiam ratione *nuptarum* & *innuptarum*: pessos enim illi virginibus non concedunt. Attamen *Rodericus à Fonsecā tom. 1. consult. 30.* etiam virgini sacræ pessum præscripsit. Solent alii plures differentias constituere, quæ omnes ad prædictas referri possunt.

De medicamentorum quantitate, tempore & recto modo utendi, hoc loco verba facere supercedeo, consulantur *Institutiones, Sylvius l. c. pag. 390.* *Berinus medicinæ lib. 20.* & qui de methodo medendi scripserunt, ut & *Prætici, Autores Consultationum & Observationum,* & alii.

Quando decerpendæ & colligendæ sint plantæ, dictum est superius *cap. 2. § 30. ¶ 31.*

Quandiu durare possint, paucis dicam. *Folia* singulis annis mutanda. *Flores* asservantur, donec odorem, colorem, saporemque amiserint. *Semina* calida per biennium: frigida per annum durant. *Fructus* quotannis mutantur. *Radices* quò densiores ac lignosiores, eò durabiliores. *Cortices* in annum perdurant, & ultra. *Succi liquidi* mutantur quotannis. *Sicci* aut singulis annis, aut ad summum biennio. *Gummi & resinæ* diu perdurant, modò non in loco humido ac putrido collocentur. Confer *Wecker. Antid. gener. lib. 4. cap. 15. colum. 217.* *Experientissimum Schröderum Pharmacop. Med. Chym. lib. 1. cap. 27. pag. 68.* & *Pharmacologos* alios.

CONCLUSIO

Hic teneat nostras anchora jacta rates.

Hic, inquam, subsisto, AMICE LECTOR. Hæc sunt, quæ variorum Autorum lectio dictavit ac suppeditavit. Tu vero, ut loquar cum ingeniosissimo *Joanne Audioeno lib. 1. epigr. 2.*

*Qui legis ista, tuam reprehendo, si mea laudas
omnia, stultitiam: si nihil invidiam.*

Feci, quod potui: tu meliora. Ingenii mei tenuitas & imbecillitas majora nondum ferunt. Omnia placere tibi dicenti ut non-

eredo : ita omnia displicete non spero. Bene monenti pârebo : nam recte juxta ac bene dixit *Hesiodus* in libro, qui inscribitur Ἑριός
ἡγήμερος vers. 293.

Ἐθλος δὲ αὐτὸν οὐκ εἰπόντι πάθη).

ὅς δέ κε μήδ' αὐτὸν μητὶ ἀλλὰς αἴσαν "

καὶ θουρβάλην), ὃδ' αὐτὸν τὸ γένος αὐτῆς.

Ita mea non amo, ut non meliora suggestenti paream, quin potius ut semper mihi animus fuit, ita porro erit, à quovis discere. Quod si feceris, habebis me ad omnia officia promptissimum. BENE VALE ET VIVE.

Tibi D E U S clementissime humilimas ago gratias, quod ex gratuitâ tuâ misericordiâ, cuius non est finis, me indignum tuum, servum omnibus bonis affeceris. Corpus animamque donasti, hanc in corpore ut, quandiu tibi visum fuerit, conservare possim, iussu tuo terra cibum præbet. Hæc ut piè agnoscam, tua esse dona, largire DOMINE. Quæso etiam optime PATER, velis mihi dare noscere, me agri florem, imò floris umbram esse. Fiam autem tuâ gratiâ abies virens, ut fructus in me inveniatur. Et aliquando, cum in hac miseriâ esse desierim, de ligno vitæ, quod est in medio Paradisi Dei edam. Hæc largire per CHRISTUM Salvatorem meum. Tibi cum Filio & Spiritu S. sit gloria, Amen.

Πάντας εἰς δόξαν Θεού.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

Quod Horatius de arte poetica vers. 360. dicit:

-- quandoque bonus dormitat Homerus.

Id evenit subtili Scaligero, in lectione Plutarchi. Scribit enim in lib. 2. de plant. fol. 109. 1. A. Plutarchus corvi lacrymam dulcem, apri salsa scribit. At Plutarchus lib. 2. de caus. natur. probl. 20. τὸ τὰ γλωσσῶν συνὸν δάκρυον ἔχει, τὸ τὰ ελάφων ἀλμυρόν δέ. Suum agrestium lacryma dulcis, cervorum autem salsa est. Siccirco non immiterò dixit exercit. 307. sect. 5. Sapientes à sensibus ad intellectus intima abducti penetralia, multa delata sub oculos non vident.

Corrigenda. Cap. 1. §. ult. lin. 2. lege, quartā. Cap. 2. §. 7. lin. 3. lege, εὐψυχα. §. 10. 5. 15. lege, Zymara. §. 28. lin. 23. post, secesserat, lege, se altas. cap. 3. §. 6. lin. 5. post. E. tolle, (,) cap. 5. §. 16. lin. 2. lege, byzantina. cap. 6. §. 4. lin. 4. post, aministratio, adde, sect. 1. §. 7. lin. 4. lege, noxam. cap. 7. §. 3. lin. 6. lege, integras. lin. 7. post, principia, pone, (,) §. 7. lin. 13. lege, alio. Reliqua a candori LECTORIS committuntur.

Dum

Dum flores loqueris, quām floridus intellectus
Ennichmanne, Tibi sit, per amande, doces.
Industriam cū philosophicam tūm medicam.
Dn. Respondentis solertissimi hoc ipso
commendat

Johan. Theodorus Schenck, Med.
Doct. P. P. h. t. Academīa designatus
Pro-Rector.

Eximio aet_g, eleganter docto,
Dn. ZACHARIÆ ENNICHMANNO,
Medicinæ Cultor istrenuo,

De
P L A N T I S

publicè disputaturo,
F E L I C I T E R!
Plantas promittis, præfas: nam themata docta
Spargunt purpureis Lilia mixta rosis.
amicæ gratul. causâ
addeb.

Joh. Ernestus Gerhardus,
SS.Theol.D. & P.P.

ENNICHMAN, tua te Virtus, & Apollinis artes
Exornant, nec non famam super astra volantem
conciliant meritis, dum jam sine fraude, decenter
abdicta plantarum reseras penetralia sacra.

Enfugient tenebræ: lux aurea dimovet umbras.
Gloria, quæ cineres tumulosque perosa, bonorum
crescat in immensum, voliteturque per ora virorum.

Hijce honestos iuuos in medico studio progressus, &
ad alta conatus, FELICITER adprecatus
commendat

Guernerus Rolfinck, Phil. Medicin.
Doct. Prof. Pub.

Plan-

Plantas, ac flellas, planas curvas & figurae
Dum tractas, Medicus, crede, probatus eris.

Ita Eximio Dn. Respondenti de egregio
hoc specimine gratulatur

Erhardus Weigelius, Phil. M. Math.
Prof. P. Alumn. Inspector, & h. t. Facult.
Phil. Decanus.

Praefstantib.

Dn. ZACHAR. ENNICHMANNO, Me-
dicinae ac Philosoph. Cultori strenuo, de PLAN-
TIS publicè disputanti,

HERBIS & VERBIS multum tribuere Medentes:
Tu monstras HERBAS; Nos BONA VERBA damus.
gratulab. accinebat

M. Caspar Posner, Phys. Prof. Publ.

| | |
|-----------------|-----------------|
| רפואה מה חן | תחל לעם סנן |
| כבר תלחם שקר: | נטעים זם הוון |
| יסוף כה: בפסלה: | אברוך התולחה |
| צריך החקר: | בחפש נס חכליה: |
| שמך לרוכוואה | בכורך מהר הראות |
| תבונתך חקר: | ואין מלאות |

Civi & Contubernali suo f.

Henricus Brökelmann.

Ως Φυτὸν ἀλέξασθε πιπὶ καὶ δόξα πόνον σγ,
ὅπιαν τὸν οἰς χορτῶν ἔχεδιδαξε Φύσιν.
Εἴς τεχνην τοῦ; μικρενὶ τὴν πινεῖ αὐγοεδώ;
Ἐν λάβε νῦν πιστὸν δὲ διέθηκα τεῖν.

Πολυφιλτάτω τῷ φίλῳ παῖδα γένεα-
φε φιλίας ἐνεκε

Joh. Christophorus Schönberg,
Trem. Guestph.

F I N I S.

